ALBERTI HALLER

PHIL. ET MED. D. P. P. O.

OBSERVATIONES BOTANICAE

EX ITINERE

IN SYLVAM HERCYNIAM

ANNO MDCCXXXVIII. SVSCEPTO.



GOTTINGAE

SVMTV MICH. TVRPIONIS.

§. I.

Pauculos elapſae aeſtatis dies inpendimus itineri per Hercyniam ſyluam, quo ſuprema eius iuga ter omnino ſuperauimus, vidimus fodinas argentiferas Clausthalienſes, antiquiſſimas Vitrioli, ſulphuris, Cupri, Plumbique Venas Montis Rammelii, Montem tandem Bructerum qui in hac boreali Germania altiſſimus habetur; atque plusculas ſtirpes collegimus vel lectas olim a THALIO, ſed poſtliminio demum in notitiam Botanicorum reuocandas, vel alioquin non vbique obvias, neque explicatas ſatis. Operae ergo precium duximus vt obſcuriores ſtirpes, adeo incognitas hodie vt pene nouae ſint, deſcriberemus, enarraremus dubia ſynonyma aliarum, vulgatiores demum alias, ſed montanas tamen, ipſis ſaltem nominibus indicaremus.

§. II.

In luco WEENDAE proximo, ad primum a *Goettinga* lapidem PETASITES naſcitur non viſus in *Hel-*

vetia, & cuius nomen difficile fuerit eruere. Nascitur ad purissimam scaturiginem, quae rotas agit molendini comminuendis in Chartam scriptoriam pannis destinati. A vulgari heluetico, qui *maior vulgaris* passim audit, non foliis adeo differt, sed spica floris longiore, laxiore, pedali, rara, pedicellis longis & saepe pendulis: *Calyce* non longo adeo, neque acutis, neque reflexis, sed subrotundis squamis facto, vnico concinno ordine flosculos presse circumstantibus: *Flore* in quacunque aetate albo & quasi sene, quod vix nisi pappus seminum vltra calycem emineat, multo exiliore quam in nostro *maiori*; *Flosculis* demum androgynis paucissimis, vno vel altero, subrubellis, qui multis femininis flosculis cinguntur, quorum semen & pappus eadem sunt, sed campanulae loco bifidus *Tubus* est, emittens absque omni stamine Tubam. Promptum est, & Character id suadere videtur, referre nostram stirpem ad *primam speciem Petasitidis maioris vulgaris*, quam RVPPIVS a) dixit duorum generum flosculos habere. Eam BVXBAVM b) repetiit nomine *Petasitis in medio maioribus flosculis, reliquis minoribus*. In *synopsi stirp. Britannicar. Ed III.* c) vocatur *Petasites maior floribus longis pediculis insidentibus*; eodemque nomine pulcherrime depingitur in *Hort. Eltham.* d) Verum ab ea facile nostra distinguitur flore lato non ventricoso, & calyce, cuius in DILLENIANA icone squamae videntur multorum ordinum pingi, a nostra fabrica diuersissimae.

Missus

a) *flor. Jenens.* p. 153.
b) *Enum. plant. circa Halam nasc.* p. 258.
c) p. 179.
d) p. 309. ic. CCXXX.

Missus est hic ipse Weendensis Petasites pro *Petasitide minori* C. B. P. Verum licet iste manifesto flosculos duorum generum habeat, vti ex primi inuentoris CAMERARII e) icone adparet, & haud dissimilem a nostra aut RVPPIANA stirpem a Germanis THALIO, f) SCHWENKFELDIO g) LOESELIO h) HOFMANNO i), VOLKAMERO k) DILLENIO l), a BESLERO m) demum descriptam esse, vel ipsa locorum similitudo suadeat, certum tamen est n) *Petasitidem minorem* C. B. Cacaliae tomentosae ad finem esse, & hinc molli lanugine obductum folium habere, inde sature virens & glabrum pauco gossypio pubescens. Sed & I. B. aliam stirpem

e) *Petasites flore albo Epit. Matth.* p. 593. Idem vocat *Petasiten nostrum Leucanthemon hort.* p. 122. qui licet odoratus ibi dicatur, descriptus equidem videtur a LVGDVNENSIBVS nomine *Petasitis odorati*, non vero depictus p. 1054, florum enim icon & situs omnino ad vulgarem pertinet.

f) *Petasites flore candido hercyn.* p. 91. Andersbergae.

g) *Petasites alpina*, *stirp. Siles.* p. 155. quem dicit flore esse subluteo.

h) *Petasites minor Flor. Pruss.* p. 192.

i) *Tussilago maior altera siue Petasites minor. Delic. sylv. Flor. Altd.*

k) *Flor. Norimb.* p. 325. *Petasitem minorem* vocat.

l) *Catal. plant. circa Giess. nasc.* p. 37.

m) in *hort Eystettens. Hybern.* Tab. V. f. II. vbi equidem icones commutatas esse & haec quidem vulgarem, quae vero vulgarem dicitur indicare illum *flore albo* exprimere videtur, si figuras florum propius spectes.

n) *ex herb. viv.* Quare & SCHEVCHZERVS noster *Itin. V.* p. 425. cum *Cacalia tomentosa* eum coniunxit.

pem videtur intellexisse o), qui sexus diuersitatem descriptione sua excludit. Diligentissimus tandem RAIVS p) Genuae suam plantam descripsit, vt vix Germanici soli videatur. Quare nostram, neque pro CAMERARIANA q) neque pro RVPPIANA stirpe tradere ausi, proponimus eruditorum disquisitioni: neque sustinemus pronunciare cuinam ex tribus propositis plantis conueniant synonyma AMBROSINI r), MORISONI s), HERMANNI t), SVTHERLANDI u), MAGNOLII x) TOVRNEFORTII y), PLVKNETII z), RAII aa) PONTEDERAE bb), LEMERYI cc), TILLI

o) v. *Petasites albus anguloso folio, hist. plant.* III. p. 567. qui *Petasites folio anguloso, radice geniculata caule striato* dicitur CHABRAEO *Sciagraph.* p. 513.

p) *Syllog. Plant. extra Brit.* p. 201. vti & I. B. pro exotica descripsit.

q) Quam, Germanica cum sit, & Noribergae ab eius excessu perpetuo visa, proximam nostrae vel eamdem esse auguramur.

r) *Petasites minor Phytolog.* p. I. p. 419.

s) *Petasites flore albo. Hort. Bles.* p. 156. *Petasites maior albus anguloso folio H. ox.* III. p. 95.

t) *Petasites albus anguloso folio. H. L. B.* 438.

v) *Flor. Bat. Petasites minor.*

u) *Hort. Edimb. Petasitis minor* p. 267.

x) H. R. M. p. 157. eodem nomine.

y) eod. *Schol. Bot.* p. 10. & I. R. H. eodem.

z) *Almagest.* p. 288. nomine I. B.

aa) eodem *Hist. plant.* I. p. 261. ex I. B.

bb) eodem *Diss.* p. 159. vbi de flosculis femininis nulla fit mentio.

cc) *Diction. de drog. simpl.* p. 416. *Petasites minor.*

TILLI dd), VAILLANTII ee), BOERHAAVII ff), MILLERI gg), WALTHERI hh) De vulgari maiori addere visum est, icones FVCHSII ii), TRAGI kk), MATTHIOLI ll), TABERNAEMONTANI mm), spicam nimis arctam & breuem facere, optimam vero esse, quam DODONAEVS nn), LOBELIVS oo), & CLVSIVS pp) proposuerunt.

§. III.

In omnibus circa Goettingam nemoribus, vmbrosis locis & in dumetis, prouenit Pyrolae species, cui Tuba recta est, minor quam altera cui stamina & Tuba declinata sunt, folio frequentius serrato, spica breviori, & densiori. Paulo rarior obseruante RAIO a) est haec altera, atque montana herc-

dd) *hort. pisan.* 133. eodem nomine.
ee) *Memoir. de l' Acad.* 1719. p. 403. eodem.
ff) eod. *Ind. alt. hort. Lugd. Bat.* p. 118.
gg) *Gardeners Dictionary* nomine I. B.
hh) *designat. plant. hort. sui* p. 96. *Petasites maior flore albo.*
ii) p. 644.
kk) eadem p. 414.
ll) p. 849.
mm) p. 749.
nn) *Pempt.* ed. 1616. p. 597.
oo) *Icon,* p. 591.
pp) *Hist. plant.* p. CXVI.
a) *Catal. stirp. in ext. region* 1673. p. 59. & in altera Editione 1694. sive *Catal. stirp. Exterar.* p. 211. coniecturam addidit de diuersitate sexus, quam nemo secutus est.

hercyniae ſyluae nemora Iuraſſique coryleta amat, ſpecioſa altitudine, ſpica laxa longiori, Tuba proboſcidis inſtar ex pendulo flore incurva, foliis vix ſerratis amplioribus. Difficile eſt ſynonyma inter vtramque partiri, cum ante RAIVM diuerſitas earum neglecta fuerit. Manifeſtum tamen eſt, maiorem cui ſtamina & Tuba deflexa ſunt, proponi a CAMERARIO. b) IOH. BAVHINO c), & poſt hos a RAIO d) RIVINO e), RVPPIO f) TOVRNEFORTIO g), LEMERYO h), DILLENIO i), ERNDTELIO k) LINNAEO l). Non ita certum eſt eamdem proponi a LOBELIO m), aut vtramque

b) *Pyrola.* EPIT. *Matth.* p. 723. ſpica laxa, Tuba incurua, folia iuſto longiora.

c) deſcript. *Pyrolae*, vbi florem difformem & Tubam recurvam habet *hiſtor. Plant.* p. 535. Icon. ex DODONAEO eſt obſcurius diuerſitatem exprimens.

d) HIST. *plant.* II. p. 1233. & *ſynops.* III. p. 363. vbi minorem Tuba recta diſtinguit, a *maiori* de qua agimus.

e) qui diuerſis iconibus, & nominibus *Pyrolae*, *Pyrolae folio rotundo* & *Pyrolae folio obtuſo* maiorem noſtram expreſſit *Pentapet. Irreg.*

f) cui eſt *Pyrola maior & elatior foliis oblongis piſtillo florum incurvo*, *flor. Ienenſ.* p. 236.

g) *Mat. medic.* L. II. p. 140. L. III. p. 190. ex deſcriptione.

h) *Pyrola Dict. des Drog.* p. 451. & T. 18. f. 14. ic. DODONAEI.

i) *Cat. plant. circa Gieſſ.* p. 94. *Pyrola.*

k) ad mentem RIVINI *pyrolam* vocat, & denuo *pyrolam folio obtuſo. Viridar. Warſav.* p. 99.

l) *Pyrola ſtaminibus & piſtillis declinatis Fl. Lapon.* 169.

m) *Pyrola a pyri folio Ic. ſtirp.* p. 294. ſimilis CAMERARIANAE ſed obſcurior.

que diſtingui a CLVSIO n); neque ſatis eas diſtinxit BESLER o) aut MORISON p). Sed Tubam rectam adeoque alteram ſpeciem habent RIVIN. q) RVPPIVS r), WALTHER s), DILLENIVS t). Plane non liquet de ſtirpibus BRVNFELSII u), DORSTENI x), FVCHSII y) TRAGI, z), GESNERI aa) LONICERI, bb) MATTHIOLI cc), DODONAEI,

n) Varietatem facit *Pyrolae vulgatioris folio maiori & molliori* & aliam folio *minori & duriori*, PANN. p. 505. & *Hiſt.* CXVI. *deſcr.* ſed veras notas diſtinguentes non tradit: Eas varietates ſervat C. B. P. & MOR.

o) *Pyrola H. EYST. Aeſt. Ord. V.* T. XI. f. 2. folia & exiguitas plantae reſpondent, Tubae aliae rectae, aliae incurvae.

p) *Pyrola rotundifolia maior. H. Oxon.* III. p. 504. habet deſcriptionem I. B., icones duas, aliam rectis, aliam incurvis Tubis, hancque maiorem.

q) *Pyrola minor. Pentap. irreg.* bene.

r) *Pyrola rotundifolia maior. flor. Ienenſ.* p. 236.

s) *Deſign. plant. hort. ſui.* nomine RIV.

t) *Catal. plant. circa Gieſſ.* p. 94. eodem nomine, tum *ſynopſ.* RAIANAE *Edit.* III. p. 363.

u) Pirolae HIERONYMVS HERBAR. II. p. 312. facit marem & feminam. BRVNFELS v. III. p. 88. obſcuram dat Iconem.

x) ſimilis icon. p. 225.

y) *Limonium* c. 175. p. 467. Tuba brevis recta, ſed ſpica rara, habitus altior.

z) *Limonium ſylveſtre* p. 707. ead. Icon.

aa) *de collect. ſtirp. Pirola*, nihil diſtincti, neque *Pirola vulgo dicta hort. German.* p. 272. *b.*

bb) *Limonium pratenſe herbar. Germ.* 1560. L. V. cap. 235. habet icones DORST. & FVCHSII.

cc) in DIOSC. p. 982.

NAEI, dd) CAESALPINI ee) CASTORIS ff) THALII gg) LVGDVNENSIVM hh), TABERNAEMONTANI ii), SCHWENKFELDI kk), C. BAVHINI ll) PARKISONI mm) AMBROSINI nn), MERRETI oo) LOESELII pp) ELSHOLZI qq), HOFMANNI rr) NYLANDI ss), COMMELINI tt) HERMANNI uu), KNAVTII xx) MAGNOLI yy,) FRANCI zz), SIBBALDI aaa) SVTHERLANDI bbb), PLVK-

dd) *Pempt.* ed. 1616. p. 138. Pyrola.
ee) *de plant.* L. VIII. cap. 32.
ff) *Pirola herb. nuovo* p. 363.
gg) *hercyn.* p. 85. *Pyrola maior seu Beta sylvestris.*
hh) ex *Dodon. hist. plant.* p. 841.
ii) *Pyrola* p. 758. ad minorem Tuba recta videtur pertinere ob folia crenata &c.
kk) *Pyrola maior* p. 172. *stirp. siles.*
ll) Pyrola *rotundifolia maior.* C.B.P. & *plant. Basil.* p. 56.
mm) *Pyrola nostras vulgaris* p. 508. cum *icone Lobel.*
nn) *Pyrola maior siue beta sylvestris Phytol.* p. 450.
oo) *Pyrola* Pin. *rer. Brit.* p. 99.
pp) *Pyrola rotundifolia maior. flor. pruss.* p. 209.
qq) eod. nomine, *flor. Marcb.* p. 163,
rr) *Pyrola Delic. sylv. altd.*
ss) *nederl. Kruyt.* 6. p. 112.
tt) *Pyrola rotundifolia maior. catal. pl. indig. holl.* p. 92.
uu) H. L. B. p. 311.
xx) *Enum. plant. circa hal.* p. 64.
yy) H. R. M. p. 166.
zz) Pyrola *limonium, Flora francica* p. 468.
aaa) *Pyrola, spec. bist. nat. Scot.* p. 44.
bbb) *Catal. plant. hort. Edimburg.* 281.

PLVKNETI ccc), VOLKAMMERI ddd), MVNTINGII eee), TOVRNEFORTII fff), TITAE ggg), IOHRENII hhh), TILLI iii), DALE kkk), LINDERI lll), BOECLERI mmm), BVXBAVMI nnn), SIEGESBECKII ooo), VAILLANTII ppp).

De maiori omnino loqui videtur TOVRNEFORT qqq), & BOERHAAVIVS rrr).

De minori DUVERNOI sss), & MICHELI ttt).

ccc) *Almagest. Bot.* p. 309.

ddd) *Pyrola nostras vulgaris, Flor. Nor.* p. 347.

eee) *Pyrola officinarum vulgaris, waare oeffening* p. 552.

fff) *schol. Bot.* p. 5.

ggg) *hort. Mauroc.* p. 141.

hhh) *Vadem. botan.* p. 169.

iii) *hort. pisan.* p. 141.

kkk) *Pyrola pharmacol.* p. 333.

lll) *Pyrola rotundifolia maior. Tournef. Alsat.* p. 100.

mmm) *Mater. Med.* p. 560.

nnn) *enum. plant. circa Hal.* p. 274.

ooo) *Pyrola rotundifolia maior. Primit. flor. Petrop.* p. 92.

ppp) *Botan. paris.* p. 169.

qqq) IRH. conf. Tab. 132.

rrr) *Jnd. Alt.* p. 278. Characterem enim genericum utriusque subit Tuba incurva.

sss) *Pyrola rotundifolia minor. Catal. pl. circa. Arc. Tub.* p. 123. in quo natali solo ipse legi minorem vulgarem, nunquam eam, cuius nomen dedit AVCTOR, raram & montanam stirpem.

ttt) *Pyrola folio subrotundo leviter crenato* apud TILL. *hort. pis.* p. 414.

Pyrola rotundifolia minor RVPPII uuu), quam cum duriori CLVSII coniungit, videtur minoris varietas esse.

§. IV.

In syluis inter *Niirten & Soeterohr Fungus parvus lubricus, aureus, lamellis raris amplioribus pediculo crassiore* 1) repertus est: cui pediculus flavus splendens, latus, in medio linea depressiori notatus: Capitulum leniter pulvinatum vel planum, totum viscidum, superius aurantium, lamellis raris, paucis, crassis pallidioribus. Eam vero syluam egressi, in agello cis pagum *Soeterohr* elegantia sua spectabile vidimus *Papauer erraticum maius flore albo*, varietatem nempe vulgaris rubri, quam pro rarissima habuit C. BAVHINVS 2). Eius mentionem opinione pauciores visi sunt fecisse, MORISON 3), RAIVS 4), VOLCAMMER 5), TOURNEFORT 6), TILLI 7), VAILLANT 8), & BOERHAAVE 9). SUTHERLANDUS 10), copiosus florum albedine variantium nomenclator, hunc quidem non habet. Ungues flaui sunt, bracteae niueae.

§. V.

uuu) *flor. Jenens.* l.c.
1) MICH. *nov. gen. plant.* p. 147.
2) PIN.
3) H. OXON. II. p. 277.
4) HIST. PLANT. p. 855. syn. III. p. 308.
5) *flor. Noric.* p. 317.
6) IRH.
7) *hort. pisan.* p. 131.
8) *Botan. Paris* p. 156.
9) *ind. alt.* p. 280.
10) Vid. *hort. Edimburg.* p. 260.

§. V.

Pluvia intercessit diligentiae nostrae, quae ubi coelo sereniori excepta fuit, in pratis apricis sesquileuca cis Osterodam viae Regiae sinisterius adjacentibus, plantulas aliquas perelegantes legimus. Universum solum tegebatur *Trifolio Lupulino minimo*, quod primus distincta icone & descriptione sufficiente adseruit DILLENIVS. 1) Sed primus id proposuisse videtur THALIVS, cujus vestigia legendo, non sine voluptate aliqua plantas haud paucissimas restituere didicimus, quae vt laterent, fecit iconum defectus, descriptionum brevitas, ac ipsa saepe ubertas congenerum. Describit nempe Trifolium Lupulinum, tum aliud, quod Medicaginis species est, sed tertium addit, 2) *minus suffruticans ferme, viticulis multis exiguis, gracilibus & striatis in terra direptans, quosdam etiam dodrantali altitudine erigens, foliis brevioribus, humani feré cordis (qua nempe figura vulgo pingi solet) aliquam similitudinem exprimentibus, ac pulchré suis neruis striatis: capitulis florum & racemis seminum iisdem cum priori* (Medicagine) *Reperitur in aridioribus pratis, marginibus & secus vias.* Sic ille. Folia cordis humani figura & striae foliorum, manifesto indicant, non esse varietatem Medicaginis, cui folia molliora subhirsuta neque cordata sunt. Deinde nostrum esse, ipse locus natalis indicat in apricis & siccioribus hercyniae sylvae pratis, Quod capitula Medicagini similia faciat THALIVS, videtur ex familiari seculo

 illo,

1) *Synops.* III p. 31. T. XIV. f. 4.
2) hercyn. Saxono-Thuring. p. 124.

illo neglectu minutioris observationis factum esse. Dignoscitur a reliquis facile, foliis concinne striatis hilo majori excisis, capitulo vix ultra novem flosculos habente, ipsa statura humiliori cum duritie tamen et fruticosa natura coniuncta. Si coniecturae locus esset, *Trifolium lupulinum alterum minus, Catal. plant. circa Cantabr.* p. 166. & *Cat. Stirp. Angl.* p. 290. omnino cum hoc nostro coniungerem. Ea enim RAIVS locis modo citatis dicit omnium Trifoliorum Anglicorum minima esse, cum *Trifolium Lupulinum alterum minus in Hist. Plant.* 949. & Syn. III. p. 330. caules habere dicat etiam ramosiores & maiores quam vulgare Lupulinum maius. Verum longe certiora synonyma sunt, *Trifolium luteum Lupulinum minimum* H. OX. 3) SVTHERL. 4) IRH. BVXBAVM, 5) VAILL. 6) *Trifoliastrum pratense Lupulinum annuum luteum omnium minimum, foliis cordatis, siliculis conpressis, monospermis* MICHEL. 7) *Lupulinum minimum* RVPP 8) & GEMEINHART. 9)

§. VI.

Abundant ea prata inprimis Orchidibus. Inter quas solam excitare libuit *Monorchin*, cum altera, quae odore

3) II. p. 142.
4) *hort. Edimb.* p. 341.
5) *enum. plant. circa Hal.* p. 325.
6) *Botan. Paris.* p. 196.
7) *nov. gen. plant.* p. 29. Annon huc etiam *Trifolium arvense Lupulinum supinum minimum subluteum folio cordato.* MICHEL. apud TILL. p. 168?
8) *flor. Jenens.* p. 207.
9) *plant, circa Laub.* 69.

odore hirci minor eſt. MONORCHIS equidem habitu & ſtaminum fabrica Orchis eſt, differt galeae duobus foliis non vt in Orchide ſolent ſimplicibus, ſed ex ſcutulo pallido ſpinulam producentibus 1), defectu calcaris, radice vnica, ſubſtantiae paulo firmioris. Odor ſuauis & melleus eſt. Admiratio ſubit, quando apud CB. vnicum ſynonymon video CLVSII, 2) cum dubio de alio ſynonymo C. Gesneri. Namque praeterquam quod de C. GESNERI 3) ſtirpe dubium nullum ſit, manifeſte huc pertinet, *Satyrii VII. prima ſpecies in apricis montibus TRAGI.* 4) deinde *Triorchides* LOBELIANAE, quibus rotundi bulbi ſunt. & quas nemo mortalium poſt GEMMAM diſtinctas vidit. Sunt hae *Orchis friſia littoralis ſiue triorchis lutea tertia* LOBELII 5) ex qua nata eſt *Orchis Friſia littoralis* LVGDVN. 6) PARKINS 7) AMBROSINI. 8) *Teſticulus luteus* : *Orchis lutea* TABERN. : 9) *Orchis*

1) conf. opt. Icon. MICH. pro labello inferiori etiam IOH. BAVHINI.

2) *Orchis puſilla alba odorata* EIVS *Pann.* p. 239. *Orchis VII. hiſtor.* p. 269.

3) *Satyrii ſpecies quam monorchin dixeris* GESN. hort. Germ. p. 279.

4) *herbar.* p. 782. altera vero ſpecies in uliginoſis pratis autumno florens eſt *Orchidaſtrum* MICH. cujus & icon adeſt.

5) *Icon.* 186. icon exterior: folia vero hirſuta valde anomala ſunt. Noſtram eſſe & radicum forma & floris effigies rudior indicat. Ejus autem *Varietas Orchidastrum* videtur.

6) *hiſt. gener* p 1560. ic. int.

7) *Theatr. Botan.* p. 1355.

8) *Phytolog.* p. 394.

9) *Icon.* p. 670.

chis lutea hirsuto folio CB. 10) MORIS. 11) *Orchis Frisia lutea* MERRET. 12) *Orchis Frisia hirsuta* IB. 13) RAII 14) *Orchis Frisia hirsuta littoralis Lobelii* CHABR. 15) Deinde huc facit *Orchis minor Leodiensis* LOBEL. 16) AMBROS. 17) ex qua prouenerunt *Triorchis lutea Gemmae* LVGD. 18) *Triorchis lutea altera* CB. 19) RAI. 20) *Triorchis lutea Leodiensis* PARKINSONI. 21) & vti plane videtur, *Triorchis lutea I.* TABERNAEM. 22) Tandem huc etiam referenda est *Triorchis lutea flore luteo sive Basilica minor, serapias & Triorchis Aeginetae* LOBELII. 23) quae eadem est *Triorchis lutea flore luteo Gemmae* LVGDVN. 24) *Triorchis lutea* II. TABERN. 25) *Triorchis lutea*

10) *Pin.*
11) *H. Oxon.* III. p. 497.
12) *Pin. rer. Brit.* p. 87.
13) *hist. univ* II. p. 769.
14) *hist. Plant.* p. 1717. cum signo ignotas indicante
15) *Sciagraph.* p. 252.
16) *icon.* p. 187. in semine.
17) *phytolog.* p. 394.
18) *hist gener. II.* p. 1561.
19) *Cat. plant. circa Basil.* p. 23. indicata in monte **Wasser-Fall**, ubi nemo vidit distinctam stirpem a *Monorchide* totius helvetiae familiari planta.
20) *Cat. plant. exter.* p. 193.
21) *Theatr.* p. 1355.
22) *icon.* p. 677. licet paulum a LOBELIANA inmutata sit.
23) *icon.* p. 187. exterior.
24) *hist. gener.* p. 1561.
25) *Icon.* p. 677.

lutea folio glabro CB. 26) MOR. 27) RAI. 28) *Triorchis lutea altera Gemmae folio glabro* PARKINSON 29) Quare non erat, cur quinque nomina noua obrutae iam huius herbulae historiae inferret MENZELIVS 30) neque erat cur in MENZELIO consisteret MICHELIVS 31), ante quem tot fuerant huius Monorchidis descriptores, & inter eos eximius CLVSIVS atque I. BAVHINVS. 32) Alias etiam icones dederunt LOESELIVS 33) & RVPPIVS 34) non optimas tamen, & nomina PARKINS. 35) MORISON, 36) RAI 37) MERRET 38) PLVKNET 39)

26) *Catal. plant. circa Basil.* p. 23. circa arcem *Birseck*, vbi a nemine hucusque alia reperta est, & *Pin.*

27) *H. ox.* III. 497.

28) *Catal. plant. extr. Brit.* p. 193. & *Hist. Plant.* p. 1217. cum signo indicante sibi ignotam fuisse.

29) *Theatr. Bot.* p. 1355.

30) *Pugill. stirp. rar. post Lexicon*, cum figuris mediocribus Tab. V. Eadem exstant etiam apud RAIVM p. 1216. 1217. & MOR. III. p. 497.

31) in ejus historia novo nomine proposita *nov. gen. plant.* p. 30.

32) cui est *Orchis parva autumnalis lutea* II. 768.

33) *Orchis coleo vnico seu monorchis flosculis pallidè viridibus flor. pruss.* p. 154. Icon n. 61, an huc etiam referenda *Ophris monophyllos bulbosa* id. p. 180. & Ic. 57?

34) *Flor. Jenens.* T. II.

35) *Orchis pusilla odorata Theatr.* p. 1354.

36) *Orchis odorata moschata sive monorchis* H. ox. III. p. 499. quo nomine & CB. & AMBROSINVS vsi fuerant.

37) *Hist. plant.* p. 1217. eod. nomine & Syn. III. p. 378. in *Cat. stirp. Angl.* p. 217. nomine PARKINS utitur.

38) *Pin. rer. brit.* p. 87. eodem.

39) SCHEVCHZER 40) vt mirabile ſit longe magis, quod omiſſa ſit a TOVRNEFORTIO, Galliae forte non indigena. Nomen antiquum *Monorchis* efficax & breve videtur, neque mallem illud HERMINII quod inpoſuit CL. LINNAEVS 41)

§. VII.

Paulo propius ſpeculam ſed in eodem prato, ſicciori tamen loco, naſcitur frequens *Orchis odore hirci minor*, cui *Folia* anguſta cauli adpreſſa, *ſpica* florum laxa odore cimicum, *Cucullus* ita arctus vt trifolium eſſe iurares, colore aut viridi aut obſolete purpureo, aut miſto ex vtroque, cum lineis ſaturatioribus: Duo Petala acutiora latent inter reliqua: *Apices* pallidi; *Barba* trifida ad ouarium reflexa, ſegmentis lateralibus vno alteroue dente inſignibus, medio mucronato, viridis aut ex purpureo virens, punctis in medio rictu purpureis. *Calcar* purpureum parallelum ouario. Hanc ſpeciem num DODONAEVS a) atque CLVSIVS b) deſcri-

39) *Almag. Bot.* p. 271. nomine CB.
40) eod. It. VII. p. 516. cum charactere.
41) *Flor. Lapon.* n. 317.
a) *Minores teſticuli hujus generis* 4. (nempe Morionum) DOD. *pl. Coron.* p. 216. & *Pemptad.* p. 236. videtur ex colore vario, odore ingrato, & quod vix alia Orchis ſit, cui hae voces DOD. tribui poſſint.
b) Pro *Orchide* VI. *Hiſtor.* p. 268. Conuenit odor; ſed color, & ſpica arcta, non admodum reſpondent. Coniunxit tamen VAILLANTIVS. Natae ſunt ex ſtirpe CLV-

SII

ſcripſerint, non ſatis liquet; de LOBELIO c) vero res extra controuerſiam eſt, cuius prima Icon, neque mala eſt, habitu etiam reflexo expreſſo, licet TABERNAEMONTANI d) figura etiam magis placeat. VAILLANTIVS e) non niſi flores dedit. Deſcriptio praeſtantiſſima eſt RAII f) Caeterum LVGDVNENSES g) CASPAR BAVHINVS, h) IOH. BAVHINVS, i) CHABRAEVS, k) PARKINSONVS, l) AMBROSINVS. m) MORISONVS n) NYLAND o), MAGNOL, p) TOVRNEFORTIVS,

SII, *Orchis odore hirci minor ſpica purpuraſcente* CB. IRH. *ſpica purpurea H. OXON.* III. p. 492. *Orchis Batavica* IB. II. 764. CHABR. p. 250. *Tragorchis batavica Cluſii* PARK 1049.

c) *Tragorchis minor & verior C. Gemmae ſ. coriosmites & Coriophora flore inſtar cimicum* LOBEL. Ic. p. 177.

d) *Teſticulus hircinus III. minor. Icon. omn. ſtirp.* p. 672.

e) *Bot. Paris* T. XXXI. f. 30. 31. 32. absque nomine. Idem nomine a CB. adcepto deſcribit *Bot. Par.* p. 149. & varietatem addit *flore ſubviridi.*

f) *Hiſtor. plant.* p. 1213. *Tragorchis minor flore fuliginoſo.*

g) *Tragorchis minor & verior Gemmae* LVGD. 1557.

h) *Orchis hirci odore minor* PIN.

i) *Tragorchis minor flore fuliginoſo II. p.* 764.

k) *Sciagraph.* p. 250. eodem nomine.

l) *Tragorchis minor & verior Theatr.* p. 1349.

m) nomine C. B. *Phytol. p.* 392.

n) eodem H. OXON. III. p. 491. S. XII. T. 12. f. 10.

o) *kleene Bockskullekens nederl. kruytb.* p. 279.

p) *Bot. Monspel.* p. 192. H. R. M. p. 149. nomine C. B.

TIVS. q) PLVKNET, r) DILLENIVS, s) RVPPIVS, t) LINDERVS u) BVXBAVMIVS, x) TILLIVS, y) ERNDTELIVS, z) &c. eius meminerunt, & hi fere in industria priorum adquieuerunt.

§. IIX.

Ad asperas rupes, quae ea prata finiunt, frequens est *Turritis minor*, quae & ipsa videtur descripta a THALIO, a) nomine *Pilosellae siliquatae maioris*. Adcedit locus natalis in aridis, folia ad terram longa & aspera, siliquae & flores. Id vnum non respondet, quod caulem foliis pene carere dicat. Et eo videtur respicere icon b) D. quam CAMERARIVS *minori speciei* adtribuit. Prima a THALIO descriptio est I. BAVHINI,

q) *Hist. des Pl. aut. de Par.* 508. IRH. eodem.
r) *Orchis foetida III. s. hirci odore minor. Almag. Bot.* p. 271. quo & RAI *Catal. stirp. Ext.* p. 191.
s) *Cat. Plant. circa Giess. nasc.* p. 85. nomine C. B.
t) *Flor. Jenens.* p. 239.
u) *Tournef. Alsat.* p. 44.
x) *Enumer. plant. circá Hal. nasc.* p. 242.
y) *Hort. Pisan.* p. 124.
z) *Virid. Warsav.* p. 85.
a) p. 84. neque videtur hanc praetervidere potuisse. Stirpem THALIANAM peculiarem facit C. BAVHINVS, dicitque *Bursae pastoris similem siliquosam maiorem seu maioribus foliis* & conjungit *Aizoon Telephium* LVGD. p. 1131. cuius icon mala est, descriptio non recedit. Inter stirpes CB. nulla planta reperta est hoc nomine insignita.
b) *ic.* VII. post *Thal.*

HINI. c) Eadem macilenta tota obducit *Lichen* in *Alpibus* etiam visus, cui expansio est nigricans, tuberculosa, aliquando in sphaerulas ex cyaneo atras congesta, per quam denso ordine sparguntur scuta magna, variae figurae, rufa, in quibus frequentia puncta nigra absque lente conspicua. Pertinet omnino ad ordinem MICHELI XXXVI. qui adeo adfinis est *Lichen-Agaricis* & inprimis *disci formi punctato nigro* qui in ligno arescente reperitur, vt diuersitatem exhibere non sit facillimum. An *Lichen pulmonarius saxatilis minimus fuluus foliis pulposis* MICHEL. d)

§. IX.

Supra OSTERODAM syluae incipiunt ex Abiete rubra, altae & late patentes. In iis adcliuibus locis, & vbi arbores excisae sunt, *Digitalis purpurea*, & *Chamaenerium vulgare latifolium* vbique nascuntur speciosa pulchritudine. Ad humecta vero viarum, frequens est per omnes *hercyniae* syluas *Cardamine annua exiguo flore*, quam THALIVS nomine *Nasturtii montani maioris* 1) primus descripsit, nisi eadem fuerit *Cardamine Alpina media* CLVSII, 2) quae tamen, cum folia dicatur habere hirsuta & aspera, non penitus respondet. Atque consimilibus locis prouenit *Cardamine IV. Dalechampii* 3) siliquis

c) *Herba S. Alberti Barbarea muralis, de plant. a Divis nomen hab.* p. 9.

d) O. XXXVI. p. 107. n. 2.

1) *Hercyn. Saxonothur.* p. 79. Icon non mala I. BAVHINI.

2) PANNON. p. 455. absque icone.

3) quae omnino videtur primum etiam proponi a THALIO,

siliquis, semine, flore, simillima, sed caule & foliis hirsutis, foliis praeterea imis integris, superioribus non eleganter tridentatis, vt in priori, sed vagis, atque vage incisis, pinnis rarius ad pediculos confluentibus. Vulgare etiam hic est *Equisetum syluaticum tenuissimis setis:* Tum *Melampyrum montanum floribus minoribus flauis.* Hoc primum a BVRSERO 4) dictum videtur, nomine *Melampyri parui Alpini*, id enim locus natalis indicare videtur, cum in Iurassi & alpium inferiorum syluis, & vniuersa Hercynia frequens sit. Idem videtur *Melampyrum latifolium floribus paruis luteis* CELSII apud LINNAEVM. 5) Hanc stirpem pro varietate *Melampyri vulgaris* habet amicissimus LINNAEVS. Verum proportio diuersissima contrarium videtur indicare. Est nostro habitus ramosior, folia magis nutantia, floris hiatus magis patulus, flos tandem vniuersus altero tanto minor in stirpe etiam proceriore quam est vulgare, & aequabili flauo colore tinctus, qui in vulgari albus est rictu flauo. Quod autem noui generis loco sit proposita olim a nobis, visum est hic rationem indicare. Quum in syluis Iurassi versus autumnum anni 1734. copiose id legerem, manifesto vidi labium inferius trifidum esse tribus nempe profundis dentibus incisum. Verum *Melampyri* Character

sub *tertia specie sisymbrii aquatici* p. 107. quod jam suspicatus est I. BAVHINVS. Icon elegans pro parvo specimine CAMERARII EPIT. p. 270. pro *Sio Aquatico altero.*

4) ACT. SVECIC. ann. 1724. p. 508.

5) *Flor. Lapon.* p. 240.

racter a TOVRNEFORTIO, 6) RAIO, 7) BOERHAEVIO, 8) KNAVTIO, 9) ita erat constitutus, vt labium inferius integrum pro maxima distinctionis nota adesset. Quare existimaui, nactum me esse haud obscuram diuersitatis notam, donec sequente aestate, sed emissa iam irreuocabili schedula, comperii, omnia nostra Melampyra eodem modo labium inferius habere tridentatum, manifestius quidem hoc & vulgatius *latifolium luteum*, & *violaceum* quod & RIVINI Iconibus exprimitur, 10) obscurius illud *coma purpurascente*, 11) verum & id satis etiam manifesto. Quare nouo argumento didici, nunquam alienis oculis videndum esse, nunquam praecipitandas obseruationes, quae a serioribus annis maturitatem in vsus publicos exspectant.

§. X.

Frequens in iisdem syluis omnibus est *Dentaria heptaphyllos baccifera*, quam vbique fere floribus atque siliquis absque vlla sobolis generatione marcescentibus offendi, baccis vero ex aliquot acinis conpactis ad alas foliorum sedentibus. Quae planta quoties superior scapus absque

6) IRH. p. 173. & icon. Characterist. T. 78, D.
7) *Method. plant.* p. 91.
8) *Ind. alt.* p. 236.
9) *Meth. genuin.* p. 108.
10) *monop. Irreg.*
11) cui labium inferius integrum pingitur a TOVRNEFORTIO l. c. & RIVINO.

absque foliis imis pinnatis decerpitur, fit iconi ſimilis, quam pro *Coralloidis alia ſpecie* videmus apud CORDVM, 1) & pro *Dentaria anguſtifolia baccifera* peculiari apud BESLER. *Hort. Eyſt.* 2) Ex qua nata eſt ſpuria ſpecies, *Dentaria baccifera foliis Ptarmicae* CB. repetita ſed cum aſteriſco a RAIO. 3) Obiter etiam notamus in icone, quae a KENTMANNO communicata, adeſt in CORDO pro *Coralloide*, 4) male baccas omiſſas eſſe foliaque terna depicta; DODONAEVM 5) vero ſtirpem CORDI, quae certo noſtra eſt, cum *pentaphylla*, & *heptaphylla* minus recte coniunxiſſe: Heluetia enim, vbi plurima naſcitur *quinquefolia & ſeptifolia* DODONAEI, caret baccifera, cuius in vniuerſum habitus multo eſt minor & tenerior, & ſiliquae, ſi quidem perficiuntur, exiliores.

§. XI.

Sylvas vbi reliquimus, iam proximi oppido CLAVSTHAL, prata humecta offendimus, in quibus inmenſa erat vis ſtirpis, quae inſolita ſpecie oculos perſtrinxit, quam ipſam ſequentibus diebus frequentiſſimam ad riuulum *die Innerſte* prope opera metallica, & denuo GOSLARIAE, ſemper ad aquas vidimus. Radices erant graciles, repentes albae, *Caules*, alias erecti, procumbebant

1) *Hiſt. Plant.* L. *II.* c. *CXI.*
2) *Aeſt. Ord.* VII. *tab.* 12. *fig.* 2.
3) *Hiſt. plant.* p. 785.
4) l. c.
5) *Pempt.* *II.* L. I. c. 7.

bebant saepe admodum ramosi, glabri caeterum, teretes & striati. *Folia* virentia varia, ima subrotunda, angulosa, paucis dentibus incisa, subhirsuta: haec ex radice ante natum caulem, & ad laterales stolones. In imo caule alia, *Barbareae* foliis adfinia, praeter bracteam latam sinuatam recipientia aliquot graciles pinnas ad pedunculum eumdem, haec glabra. Superiora denique glabra, sature virentia, ambitu dentato: vltima integra. *Flores* copiosi ad summos ramos non adpressi caulibus, sed vagi magis. *Calyx* quadrifolius, pallens, minor petalis. *Petala* quatuor subrotunda lactea. *Siliquae* sparsae & a caule recedentes, vnciales & vltra, seminibus increscentibus distinctae, vt pene articulatae videantur. Quae cum viderem, a *Turritide vulgari ramosa*, cuius fere faciem prae se fert, distinxi facile, foliis & flore maiori: *A Leucoio verno perenni albo*, cui adfinis videbatur aliquo modo, foliis glabris & pinnatis tenuibus. In scriptis Botanicorum duae obuiae sunt stirpes nostrae similes. Altera *Thlaspios generibus cognata planta* THALII, 1) cui coniungo *Nasturtium montanum* SCHWENKFELDI 2) *Nasturtium Barbareae foliis* C. BAVHINI 3) PARKINSONI 4) RAII, 5) *Nasturtium Alpinum Barbareae foliis* BVRSERI apud C. BAVHINVM. 6)

1) *Hercyn.* p. 122.
2) *Stirp. Siles.* p. 145.
3) *Pin.*
4) *Theatr. Bot.* p. 828.
5) *Catal. stirp. extra Brit.* p. 188. *Hist. plant.* p. 817. cum Asterisco.

HINVM. 6) Atque de hac *Thaliana*, omissa a recentioribus, neque visa RVPPIO, DILLENIO, LOESELIO &c. dubium nullum erat, quin ipsa stirps nostra esset. Verum in recentioribus scriptis offendi *Turritidem minorem foliosam* PETIVERI apud RAIVM, 7) quae foliis imis hirsutis, superioribus glabris, siliquis a caule abscedentibus, nostrae satis videbatur adfinis. Sed Icon *Brassicae spuriae exilis hirsutioris subrotundis foliis caule magis folioso* PLVKNETI 8) admodum a nostra recedit, foliis rotunde dentatis, & habitu erecto, ita vt si adiungas hirsutiem, similior sit *Turritidi minori*. Quare cum *Nasturtii* nomen ferri non possit, *Sisymbrii* nomine insigniendam existimaui, quo *Turritis vulgaris ramosa* ob sparsas siliquas referenda videtur. Licet, vt veram fatear, limites *Leucoii*, *Hesperidis*, *Sisymbrii*, *Erysimi & Erucae*, non ita constituti videantur, vt certas distinctionis notas subpeditent. Dixi itaque *Sisymbrium palustre album, foliis imis Barbareae, reliquis integris dentatis.*

XII.

In iisdem elatioribus, sed humidis tamen pratis frequens nascitur ARNICA, quam in fasciculos colligatam sub fenestris aedium ubique per syluam hercyniam siccari vidimus. Semiflosculi in ea semen habent pappo coronatum, quare a *Doronici* genere ad *Solidaginem* remota est a VAILLANTIO, 1) & eamdem ob

6) *Prodr.* p. 46. ex *Austria.*
7) *Synops.* p. 294.
8) *Almag. Botan.* p. 70. & T. 80. f. 2.
1) *Solidago foliis oblongis neruosis plerumque coniugatis Memoir. de l'Acad. des sc.* 1720. p. m. 380.

ob rationem in proprium genus constituta ARNICAE nomine a Cl. MOEHRINGIO. 2) Quae eadem ratio *Doronicum latifolium magno flore* iunget *Solidagini*, contra quam visum est VAILLANTIO, 3) vti repetito in Alpibus Helueticis obseruaui. In hac stirpe a CLVSIO & IOHANNE BAVHINO, quod rarissime fit, & a LINNAEO dissentire cogimur, qui omnes duas faciunt huius stirpis species. Et CLVSIVS quidem, in *Pannonicis* proponit *Doronicum Austriacum IIII.* 4) caule in summa parte ramoso, foliis plantagineis modice acuminatis, idque coniungit cum stirpe SIMLERI, 5) *Muttervvurz* dicta, in Heluetiae alpinis & subalpinis pratis frequente. Idem in magno opere, iconem eamdem pro *Doronico Pannonico VI.* 6) cum alia descriptione ponit, descriptioni vero Austriaci quarti, nouam addit iconem, folia exprimentem acutiora, atque florem vnicum, altero tamen ex ala folii subnascente. In quibus euidens est, optimum Virum non satis sibi constare: Hoc etiam caput cum festinatione aliqua scriptum esse, vel inde adparet, quod sub finem *Quar-*

2) *hort. priuat.* p. 106.

3) l. c. p. 390.

4) *Pannon.* p. 520. & ic. p. 522. vt absque iusta ratione moneat I. BAVHINVS alienam iconem *Doronici* serrati adpositam esse, ea enim ad III. spectat, ipso titulo id indicante.

5) *de Vales. & Alp.* p. 333. quae tamen omnia ex ARETII, ciuis mei, Itinere per *Stockhorn* & *Nessum* montes exscripta sunt, ex p. 234. b. apud CORDVM editionis GESNERIANAE.

6) *Histor. Plant.* p. XVIII.

tum Doronicum 7) cum SIMLERI ſtirpe coniungat, quod nempe quartum fuerat in Pannonicis, in hiſtoria num quintum an ſextum ſit, non ſatis liquet, quartum certe non eſt.

IOHANNES BAVHINVS deſcriptionem *Doronici Quarti in Pannonicis*, & V. in *hiſtoria*, recenſet ſub titulo *Doronici Germanici foliis binis ex aduerſo naſcentibus villoſis.* 8) Doronicum vero nouum Pannonicum VI. cum ſtirpe MATTHIOLI & omnium Auctorum coniungit, nomenque facit *Alismatis Matthioli ſiue Plantaginis montanae.* 9) Vbi liquido adparet, a ſtirpe MATTHIOLI & aliorum ſcriptorum, male ſeparari *Doronicum Quintum* CLVSII in hiſtoria, (vt quod in Auſtria, Francofurti & in Belgicae montanis naſci teſtatur CLVSIVS) & coniungi cum ſtirpe peculiari Hungarica. DALEVS certe ita ſecutus eſt CLVSIVM & IOH. BAVHINVM, vt *Doronicum germanicum & Arnicam officinarum* 10) ſuſpectum habeat naturae venenatae; *Alisma* 11) vero officinarnm pro egregio vulnerario laudet, excitatis locis in EPHEMERIDIBVS NAT. CVR. 12) manifeſto de Arnica agentibus. Cl. LINNAEVS vltimo loco cauſam egit CLVSII & IOHANNIS BAVHINI, & duas ſtirpes fecit aliam monanthon, 13) foliis acutis, quam *Doronicum foliis lanceolatis* vocat, & coniungit cum

7) p. XIX.
8) *Hiſt. Vniv.* III. L. XXV. p. 19.
9) *ibid.* p. 20.
10) *Pharmacolog. ſuppl.* p. 51.
11) *ibid.*
12) FEHR. *Dec.* I. *Ann.* IX, & X. *Ob.* II. cum Ic.
13) *Flor. Lapon.* 305.

cum Alismate IOH. BAVHINI, & cum *Doronico VI. Clusii*, sed praeterea cum eodem Doronico IIII. in *Pannonicis* quod in *historia* V. est. Aliam vero speciem facit polyanthon foliis obtusioribus, quam dicit *Doronicum foliis oblongo oualibus*, 14) eamque absque CLVSIANO synonymo cum stirpe MATTHIOLI 15) SCHEVCHZERI 16), RVPPII 17) cum Arnica nempe officinarum coniungit. Qua in re vim infert optimus LINNAEVS CLVSIO, qui Doronicum suum V. *Germanicum* nunquam monanthon descripsit, sed ramis aliquot in summitate, neque depinxit etiam. Deinde CLVSIANVM *germanicum in Austria*, *Belgio* & *Francofurti* nascens auellit a stirpe vulgata Germaniae RVPPIO, SCHROEDERO, MATTHIOLO & SCHEVCHZERO dicta, & peculiarem facit summarum alpium. Videtur omnino CLVSIANA enarratio confusionis habere aliquid, *Iohannes* vero BAVHINVS stirpem V. CLVS. *in histor.* exscripsisse sibi non cognitam; & plantam ramosam sibi visam, cum ramosa etiam VI. CLVSII pro distincta posuisse. Neque enim facile stirpes multiplicat, nisi quando post alios loquitur. LINNAEVS tandem varietates duas ante oculum habuit. Nos ipsi in *Gotthardo* M. & *Valle Vrserana* Doronicum vidimus monanthon, foliis ad caulem aut minimis aut nullis, humile, foliis acutis asperioribus. In humilioribus vero *Vallis Haseliae*, & in sylua hercynia, Doronicum caule ramoso folioso multifloro, fo-

 liis

14) *Flor. Lapon.* 304.
15) *Alisma*, ed. 1565. p. 933. 934.
16) *It.* I. p. 36. cum nomine CB.
17. *Flor. Ienens.* p. 141.

liis mollioribus obtusis, plantagineis. Sed facillime per omnes intermedios 18) gradus demonstrare possumus, eamdem esse stirpem quae in editis & frigidioribus vti fieri solet, aliam faciem induit ab ea, quam in riguis vallibus prae se fert. Quare cum CASPARE BAVHINO & VAILLANTIO, vtramque stirpem CLVSII coniungendam esse censemus, & vtramque praeterea LINNAEI, in admittendis varietatibus alioquin non facilis Botanici.

§. XIII.

Vberrime in eisdem pratis prouenit *Bistorta*, quam ab omni aeuo in duas species distinxerunt, praeeunte iam ciue nostro BRVNFELSIO: 1) atque ita definiuerunt, vt alia radice magis conplicata, folio vero planiori esset, qualis est icon CAMERARII 2) alia vero radice minus intorta folio vero rugoso & sinuato qualem pulchre expressit DODONAEVS. 3) Verum quando Bistortae exemplaria ex *Iurasso*, ex *Alpibus* variis, ex humidis ditionis *Bernensis*, ex *Bructero & sylua hercynia*, vario loco

18) Aliquando enim Alpina specimina biflora aut triflora sunt, alias in humilioribus vallibus nascuntur uniflora. Folia etiam omnia neruosa, acumen per infinitos gradis variabile habent.

1) Foliis rugosis *Naterwurz das männlein* I. p. 62. foliis vero planis *icon prior* p. 61. absque nomine.

2) ex GESNERIANIS *Epit.* p. 683. descriptio vero sinuata habet.

3) *Hist. Plant. Pempt.* III. L. I. c. IX. p. 332. bene, qua icone usus est LOBELIVS *Icon.* p. 292.

loco & tempore lecta confero, fateor, me quidem veram diuersitatem non reperire. Folia alias plana, amplissima & pedalia, exigua alias & plicata. Radix aut recta aut semel, bis, ter intorta, statura denique variant. Sed ita, vt alias plana folia cum 4) simplici radice (in BRVCTERO M.) alias folia sinuata cum radice ter intorta visa sint. 5) Quare valde vellem veras & interiores diuersitatis huius notas edoceri.

§. XIV.

Altera die obiuimus operas metallicas, atque in pratis circa CLAUSTHALIAM, praeter *Violam tricolorem repentem*, frequens vidimus GERANIVM, de quo dudum multa fuit nobis dubitatio. Habitus ipsi est pene qui *fusci*, foliis semper in lobos ad dimidium sectis, nunquam ad pedunculum vsque, *floribus* binatis, *calyce* glabro, aut subhirsuto, aut hirsutissimo, magna enim varietas etiam in eodem specimine est: *Petalis* ambitu rotundo, purpureis perpetuo sed vel obsoletis magis, vel saturatioribus, nunquam coeruleis, picta lineis aliquot tinctioribus, vmbilico albo; *Staminum* apices cyanei sunt; *Tubae* reflexae fissae purpureae, *Capsulae* monospermae vna cum rostris hirsutae. Hanc speciem in vniuersa heluetia vidi, nempe ad *Birsam*, & *Suzam* in valle *Delemontana* & *S. Imier*, prope *Bernam* in prato quodam adiacenti balneo exteriori, in *Argouiae* sepibus vdis, in M. *Boezberg* supra *Brugam*. in subalpinis ad *Thermas Leucenses*,

4) qualis fere est Icon prior BRVNFELS Ic. p. 61.
5) qualis icon est MATTHIOLI p. 946.

censes, in montanis circa *Candersteg*. Deinde in omni sylua hercynia in pratis, & *Gottingae* in prato inter syluas *Heimholz* & *Gottingerholz* vberrime. Francofurto idem etiam misit D. D. SENKENBERG, semper ex loco palustri, & humecto. Vt facile adpareat, vulgarem & late nascentem stirpem esse. Quo magis mirum videri possit, difficillime eam extricari, atque ab adfinibus distingui posse. Ab eo quidem quod *Gratia Dei germanorum* dicitur. 1) distinguitur facile foliis simplicioribus, non ad pediculum adeo sectis, floribus neque coeruleis, neque pictis, minoribus denique. Loci certe natalis ratio efficit, vt necessario huc pertineat *Geranium batrachioides Dodonaei flore purpureo magno* THALII. 2) *Geranii tertia species similis montanae* GESNERI, 3) quam cum bistorta frequentem nasci dicit, & *Geranii montani species foliis asperioribus* quae *mas eiusd. in append.* 4) (ibi vero prior species, qua haec *mas* asperior esse dicitur, videtur ad *Geranium phaeum siue fuscum* 5) referri debere) *Gera-*

1) In *helvetia* hoc sponte nasci, & CB. in *Basil. catal.* p. 89. & IB. III. p. 476. adfirmant. Nobis nunquam spontaneum visum est. Quare cum Fratres optimi hoc in Helvetia ponant, dubitare licet, an non idem Ipsi viderint quod nos adeo frequens inuenimus.

2) p. 44. loco natali eodem. vidit & *albo* flore.

3) *hort. Germ.* p. 260. in pratis vdis cum Bistorta.

4) *app.* p. 292. 6. hoc DILLENIVS in *Hort. Eltham.* ad suum *palustre flore sanguineo* refert.

5) quod foliis est hirsutis & simillimis nostro, sed minus asperis, neque omitti potuit a GESNERO, cum in Heluetia non sit infrequens.

Geranium alpinum SCHWENKFELD 6); *Geranium Batrachioides paruoflore* BVRS. *act. Suecic.* p. 532. ex syluis *Heluetiae*; *Geranium batrachioides maximum minus laciniatum folio Aconiti* IOH. BAVHINI 7), SCHEVCHZERI 8) forte & reliquorum. *Gruinalis pratensis maxima folio aconiti minus profunde laciniato* RVPPII.9); *Geranium Batrachioides montanum* RAI 10) & *montanum nostras* 11) eiusdem, cuius etiam descriptio simillima. Neque videtur fieri posse vt diuersum sit *Geranium Batrachioides alterum* 12) CLVSII, cuius & icon & descriptio conuenit, cum praeterea vix potuerit nostrum effugisse notitiam diligentissimi viri. Verum inde deducta sunt synonyma multa, quorum aliqua vix videntur admitti

(6) *Stirp. Siles.* p. 86.

(7) qui & ipse cum Bistorta nasci dicit & descriptionem exhibet simillimam. Ex eo habet CHABRAEVS. p. 487. Monere debemus quod I. BAVHINVS Clusianam stirpem nunquam viderit, quare sibi obseruatam pro noua proposuit absque synonymo.

(8) *It. Alp.* p. 512. plane ex eisdem pratis, ubi nostram, & ego & I. GESNERVS, & HVBERVS noster saepe legimus.

(9) *Flor. Ienens.* p. 103.

(10) *Cat. Stirp. Angl.* p. 129.

(11) *Hist. Stirp.* p. 1062. optima descriptio, & *Synops.* III. p. 361. Stirpem suam in *Historia* cum dubii signo, in *synopsi* iam certior coniungit cum CLVSIANA. Ex eo MILLERVS.

(12) *Pannon.* p. 417. & *histor.* p. IC. &. C. Icon equidem folia habet profunda & fere ad pedunculum divisa, quod & RAII dubium fuit. Sed locus natalis alpinus & floris color & foliorum ratio reliqua conueniunt.

mitti posse. Huc nempe *Geranium batrachioides rubrum minus* CAMERAR. 13) Forte & IIII. eiusdem. 14); *Geranium sanguinarium* TABERNAEMONTANI 15); *Geranium Batrachioides aliud flolio Aconiti nitente* I. BAVHINI 16); *Geranium Batrachioides maximum folio Aconiti nitente* CHABRAEI. 17) *Geranium Batrachioides aliud* I. BAVH 18); *Geranium Batrachioides minus* PARK. 19) *Geranium Batrachioides folio Aconiti* MORISONI 20); & forte multorum aliorum, de quibus minus certos esse licet. Sed miscet hic C. BAVHINVS 21) cum stirpe CLVSII exquisitis verbis excludentis coeruleum colorem, varietates flore coeruleo, & coeruleo & albo, sicque suspicionem mouet haud leuem, ipsum non satis a *Gratia Dei Germanorum* hoc nostrum distinxisse. Quare neque C. BAVHINI neque TOVRNEFORTII 22) neque RVPPII 23) neque TILLII 24) neque LINNAEI 25) stirpem ad

(13) *Hort. Med. Phil.* p. 66.
(14) in *Epit.* p. 602. exhibitum pro Gratia Dei, sed foliis parum diuisis nostro propius.
(15) *Icon* p. 62. fere ad CLVSIANAM.
(16) III. p. 476. plane ex Clusio, nulla sua obseruatione.
(17) p. 487.
(18) *Font. Boll.* p. 206.
(19) *Theatr.* p. 704.
(20) *H. oxon.* II. p. 514. ex CLVS. nomine CB.
(21) *Geranium Batrachioides folio Aconiti Pin.*
(22) IRH. eodem nomine.
(23) *Gruinalis pratensis foliis Aconiti Ranunculiue, flor. Ienens.* p. 103.
(24) *hort. Pisan.* p. 66.
(25) *Geranium petiolis bifloris, foliis peltatis multifidis, caule erecto*

ad nostram referre ullo modo possumus, qui omnes eamdem tamen CLVSII stirpem suae coniungunt. Tandem & id fateri debemus, nullas nos habere notas satis euidentes, quibus a nostro separemus *Geranium palustre flore sanguineo* DILLENII 26) VOLCAMERI, 27) HOFMANNI, 28) Calyx enim & capsulae glabrae non videntur sufficere, radix, folia & flos & locus natalis conueniunt. Cogimur ergo ab eruditis quaerere, primo, An detur *Geranium Batrachioides folio Aconiti coeruleo flore*, diuersum a *Gratia Dei* quod & a nostro diuersum dici queat; deinde, qua ratione a nostra diuersa sit stirps DILLENII.

§. XV.

In cliuis sterilibus & lapidosis, qui fluuiolo *die innerste* inminent, & ad arenosa viarum prope aceruos lapidum tritorum, qui metallo omni iam priuati sunt, tum *Goslariae* similibus locis, magnus prouentus est *Alsines saxatilis & multiflorae capillaceo folio*. Hanc primus,

 sed

erecto, flor. Lap. 266. ponit colorem ordinarium coeruleum, & admittit varietates ex albo, neque minus coniungit suam cum CLVSIANA & RAIANA stirpe.

(26) *Hort. Eltham.* p. 160. T. 134. *Geranium Geranii haematodis folio & facie* C. G. *nov. sp.* p. 55.

(27) *Flor. Noric.* p. 186.

(28) *Delic. sylv. Flor. Altdorff.* Reliqua synonyma a nostro non recedunt, uti icon *Geranii sanguinarii maioris* H. EYSTETT. *Cl. Vern. Ord. herb.* I. T. IX. f. 2. & aliud GESNERI. CLVSIANVM vero *haematodes alterum* omnino aliud videtur a Batrachioide altero, *Pann.* p. 422. & *histor.* p. CII.

ſed breuiſſime, deſcripſit THALIVS, 1) & dixit *Alſines minoris aliam adhuc ſpeciem.* BARRELERIVS, 2) iconem dedit *Anthyllidis Lychnitis annuae ſeu minoris anguſti foliae flore albo*, quae noſtram ſatis bene exprimit. HERMANNVS 3) *Alſinen glabram tenuiſſimis foliis floribus albis* vocauit, aliamque dedit Iconem. Tertiam PLVKNETIVS, 4) ſed minus laudabilem, dixitque *Alſinen caryophylloiden tenuifoliam flore albo punctato.* Quartam MAGNOL 5) ſed absque flore, cui eſt *Alſine Saxatilis Laricis folio minor & minori flore.* Quintam & perfectiſſinam VAILLANTIVS, 6) *Alſines ſaxatilis & multiflorae capillaceo folio* nomine, quo & TOVRNEFORTIVS 7) & GARIDELLVS 8) vſi ſunt. Alia etiam nomina habent 9) RAIVS, BOCCONE 10) TOVRNEFORTIVS, 11)

(1) p. 11. *lin. penult.*
(2) *Stirp. Gall. Hiſpan. Ital. ic.* 580.
(3) *Parad. Batav.* p. 12. bené.
(4) *Almag. Botan.* p. 22. & T. 7. f. 3. inde RAI. III. p. 498.
(5) *Hort. Reg. Monsp.* p. 11. & ic. eo nomine uſus eſt TOVRN. in IRH. TILL. *hort. Piſ.* p. 8. & ipſe MAGNOL *Nov. Char.* p. 259.
(6) *Botan. Paris.* T. II. f. 3.
(7) IRH.
(8) *hiſt. des plant. aut. d' Aix.* p. 25.
(9) *Alſine puſilla pulchro flore tenuisſimo noſtras ſeu ſaxifraga caryophylloides puſilla flore albo punctato Hiſt. plant.* p. 1033. *ſyn.* III. p. 350.
(10) *Plant. ex ſicil.* p. 22. *Tab.* 12. *Alſine Bononienſis non aculeata*, iuxtá VAILLANTIVM, verum icon vix adgnoscitur, neque noſtra planta, etiam ſenex, aculeata eſt, neque fo-

fo

VS, 11) SCHEVCHZER, 12) DILLENIVS 13). Differt elegans haec plantula ab *Alsine tenuifolia* I. BAVHINI 14) flore maiore, caule magis ramoso, & ramis adeo frequentibus, vt iuniorum foliolorum copia, non foliorum coniugatorum adeo, sed multiplici penicillo congestorum speciem prae se ferat. Ab *Alsine Alpina iunceo folio* C. BAVHINI, siue *Auricula muris tenuissimo folio pulchro flore* IOH. BAVH. 15) flore longe minore, foliis breuioribus minus rigidis & minus congestis. *A Tunica Alpina* BVRSERI 16) toto habitu & charactere, ea enim stirps ad Knawel ad cedit alio loco dicenda.

§. XVI.

Sub *Cellerfelda*, in syluis quae supra *Goslariam* sunt, & in omni Hercynia sylua, frequens est Filicina planta, in peculiaribus cauliculis ad propria folia semen ferens

 quam

lia habent latitudinem qua pinguntur apud AMBROS (quem pungere videtur BOCCONE) nomine *Alsines spinosae minimae montanae Phytol.* p. 17.

11) ex BOCCONE.

12) *Alsine Alpina minima glabra It. Alp.* II. p. 129. quod nomen C. BAVHINVS diuersissimae stirpi inposuerat, *Lychnidi* nempe *saxifragae alpinae glabrae pumilae* PLVKNETI.

13) *Spergula Caryophylloides tenuifolia Catal. Plant. circa Giess.* p. 58.

14) III. p. 364.

15) III. p. 360.

16) in *herb. vivo* C. BAVHINI, & forte *Caryophyllus saxatilis, Polygoni minoris foliis & facie, floribus albis, tanquam in umbella positis* BVFS in *Act. suecic* 1724. p. 507.

quam *Aspleni-syluestris* nomine primus descripsit & commode depinxit TRAGVS: 1) Eam in his ipsis syluis inuenit THALIVS, 2) & *Struthiopteridem* CORDI vocauit, atque vix excusabili constantia adseruit a stirpe GESNERI 3) & TRAGI diuersam esse. *Goslariensis* enim planta cum nostra *Bernae* perquam vulgari in omnibus conuenit.

In iisdem syluis nascitur *Filix Lonchitidi adfinis*, IOH. BAVHINI, quam pro noua proposuit C. BAVHINVS, 4) cum extra dubium positum sit eamdem esse *Filicem feminam asperam* GESNERI: 5) *Filicem marem tertiam spinosam seu aculeatam* THALII 6) *Filicem spinosam seu aculeatam* SCHWENKFELDI. 7)

Vulgaris in vniuersa hercynia est *Filix mas non ramosa petiolis tenuissimis & tenuissime dentatis* CASP. BAVHINI, 8) quam esse *Filicem feminam mollem* GESNERI, 9) *Pteridion masculum* CORDI 10) *Filicem marem secun-*

1) *herbar.* p. 550.
2) p. 119.
3) GESNERVS CORDIANAE *struthiopteridi* iconem & nomen TRAGIANI *Aspleni* iunxerat, CORD. *hist.* L. II. c. 179. p. 171, hunc adcusat THALIVS & quod diuersissimas stirpes miscuerit notat; sed pro GESNERO descriptiones, & ipse locus natalis loquuntur.
4) *Filix aculeata maior* PRODR. p. 151.
5) *hort. app.* p. 292. b.
6) p. 43.
7) *Stirp. Siles.* p. 78.
8) *Cat. plant. circá Bas.* p. 99. & PIN.
9) *Hort. Germ. app.* 292. b.
10) *hist.* L. II. c. 175. est enim diversitas non ramosae, quare nolim

secundam teneriorem & molliorem THALII 11) pene certo affirmamus.

Sed & *Dryopteris siue ramosa minor & Filix femina minor Thalii* 12) quae *Pteriadion Cordi.* 13) *Filix femina minor laeuior candidiorque* GESNERI 14) *Filicula saxatilis parua & elegans* CAMERARII, 15) *Filix muraria seu minor* SCHWENKFELDI; 16) *Adianthum folio filicis* CASP. BAVHINI 17) hic prouenit. Quae teneritate quadam fragili, diuisione terna, raris, neque pinnatis, sed rutae murariae similioribus lobulis, vltimisque acute incisis, punctis flauis creberrimis distinguitur.

§. XVII.

In eadem sylua, & in Hercyniae nemoribus, tum circa *Gottingam* frequens est *Lactuca syluestris flore luteo,* quam repetito examinatam, vidimus habere *calycem* tubulatum, qui simplex videri possit, licet ad basin duo paria squamarum adcedentia habeat, *semen* vero latum nigrum conpressum, vtrimque acuminatum, quod pappum gerit in *stipite* notabili. Is tamen stipes in iuni-

nolim cum THALIO ad *Adianthum album filicis folio* referre quae ex genere ramosarum est.

(11) p. 43.
(12) p. 43.
13) L. II. C. 176. p. 170.
14) *Hor. Germ. app.* 292. b.
15) *Hort. Med. & Phil.* p. 60.
16) p. 78.
17) *Cat. Basil.* p. 98. & PIN. docente *Herbaris viuo.*

iunioribus stirpibus lactucarum omnium adeo breuis est, vt vix distinguatur. Qua in aetate, cum squamulis ad basin minimis, obseruata esse videtur Lactuca nostra a Cl. MARTYN, 1) indeque nata occasio nouo creando generi.

Suillus etiam in ea sylua visus est, bulbo crasso purpureo reticulato, Pileo ex ochroleuco subfusco, Poris minutissimis ochroleucis. Substantia & lamellae albidae, coeruleum colorem cito induunt quando laeduntur. *An Suillus crassus superne fuluus & leuis, inferne luteus pulpa rosea pediculo ex fulvo subrubente & velut reticulato*, MICHELI. 2) Difficile dictu, suilli enim etiam magis quam reliqui fungi colorem per aetates mutant.

§. XVIII.

Circa *Goslariam*, qua ad ad cuniculos montis *Rammelii* iter fecimus, frequens est *Statice*, quam ad pagum *sieber* supra *Herzbergam* denuo vidimus. Elegans etiam *Caryophyllus* ibi nascitur, quem primus descripsit CLVSIVS, *syluestris septimi* nomine; 1) novam vero descriptionem nouo cum nomine dedit RAIVS, 2) historiam eius perfecit tandem DILLENIVS. 3) Multi flores

1) *It. Phil. Trans.* n. 407. p. 22.
2) *nov. gen. plant.* p. 129.
1) *Hist. plant. rar.* p. 285.
2) *Caryophyllus minor repens nostras*, *hist. plant.* p. 988. & *Syn. III.* p. 335.
3) *Hort. Elthám.* p. 402.

rus est. Petala pulchre purpurea sunt, inscripta ad vnguem circulo sature admodum purpureo, vltra quem frequentia puncta alba; Apices subcoerulei. *Caryophyllus humilis flore vnico* 4) CASP. BAVHINI caule est erecto vnifloro, nudo, foliis angustissimis ad laricina adcedentibus, flore purpureo puro, radice maxima brachiata, a nostro diuersissimus & heluetiae indigena. Hunc *Goslariensem* magna copia extra *Wernigerodam* vidimus, similibus locis arenosis & iuxta vias publicas. *Vulnerariam flore ochroleuco* hic & circa *Gottingam* aeque vulgarem atque luteam illam. Videtur de *Lagopodio flore albo* 5) TABERNAEMONTANI dubitare IOH. BAVHINVS, 6) quum notet descriptorem ob omissum locum natalem: Sed huc omnino referimus. Cum mucrone vexilli carinae & alarum purpureo, frequentem circa *Thermas Leucenses* vidimus, sed *albo* penitus *flore*, quam videtur IOH. BAVHINVS ex *Gotthardo M.* habuisse.

§. XIX.

Visis *Goslariae* venis Vitrioli natiui & metalli misti ex Plumbo, Argento, Cupro & Sulfure, tum vberrima minerarum omnis generis collectione SCHLVTERIANA, iis tandem fabricis quibus sulphur ex pyrite excoquitur, *Harzburgum* petiuimus ad pedem Montis *Bru-*

4) huic stirpem suam coniungebat RAIVS. l. c.
5) Icon. p. 525.
6) *hist. plant. univ. II.* p.

Bructeri situm, ita tamen vt lenta adcliuitate per montanam planitiem dumetis obsitam, ad verum demum montem sero perueniatur. Ipse Mons, vt qui a palude dictus sit, vliginosus est totus, syluis nudus, circa verticem congestis absque ordine lapidibus, interceptisque haud modicis foueis molestus. Vertice nudus & lapidosus, vndique libere oculos late per vrbes agrosque errantes dimittit. In eo culmine commodum exstructa est casa, ad nocturna frigora arcenda perquam necessaria iis, qui solius spectaculi gratia montem conscendunt. Altitudo rudi aestimatione, quae *Iurassi* fere, neque recedunt obseruationes Geometricae, est autem ea ad bis mille pedes Rhenanos. Descensus inde rapidus ad *Ilsenburgum*, quo paucis admodum horis descendendo peruenitur per syluas abiegnas. Stirpes paucissimae Alpinae, sed aliae quaedam nostris inuisae, insolita sua pulchritudine mihi gratissimae fuerunt.

§. XX.

In primis nemoribus prope *Harzburg*, *Anagallis lutea nemorum*, in planioribus hic terrarum rarior, & *Dentaria baccifera* frequens est. Verum ad vias passim procumbit & serpit *Veronica supina Teucrii folio*, foliis suis rarioribus, rotundioribus, & amplioribus, floribus minus conspicuis rubellis ex alis foliorum erumpentibus, ouariis valde latis & conpressis, caule humum non relinquente se distinguens a *rotundifolia minori*. Eam COLVMNA pulcherrime depinxit & nomen dedit *Alyssi Dioscoridis montani* 1) cuius Iconem in

1) *Ecphr. stirp. rar.* L. I. c. 121. p. 286. Ex eo plerique alii, inde

in peruetusto codice visam non recedere a stirpe sua adseuerat. Alia icon est RIVINI in posterioribus tantum exemplaribus 2). Non in Italia solum, sed & in Germania nasci, diligentia IVNGERMANNI 3) RVPPII 4), DILLENII 5) docuit, in Anglia etiam prouenit RAIO 6) teste. *Heluetia* quidem, & *ager Parisinus* ea carent.

§. XXI.

In iisdem humilioribus syluis non solum *Pyrola folio mucronato serrato*, in vniversa Hercynia sylua frequens,

 sed

inde enim nata *Chamaedry spuriae adfinis rotundifolia scutellata* C. BAVHINI. *Alyssum montanum* COL. PARKINS. p. 590. *Veronica rotundifolia scutellata aut biscutata hederae folio H. OXON.* II. p. 321. PLVKN. *Almag. Bot.* p. 334. *Veronica supina Teucrii folio* ELEM. BOT. MAGNOL. H. R. M. p. 203. IRH.

2) *Veronica procumbens. Monop. Irreg.*

3) nulla enim alia stirps ab eius excessu in Germania visa est, cui conueniat nomen *Chamaedryos hederaceae siue Teucrii pratensis hederaceis foliis* HOFM. ex IVNGERMANNO. Quare neque *Chamaedrys spuria hederacea siue Scutellata repens* C. B. & RAII *hist. plant.* p. 847. vera & distincta planta erit.

4) nomine TOVRNEF. *flor. Jenens.* p. 197. habet & GEMEINH. *fl. Laub.* p. 41.

5) eodem nomine *Cat. plant. circa Giess* p. 92.

6) cui est *Chamaedrys spuria foliis pediculis longis insidentibus Cat. stirp. Angl.* p. 64. *histor. plant.* p. 250. cum descriptione aucta: In *Syn.* vero II. & III. p. 281. *Veronica Chamaedryoides foliis pediculis oblongis insidentibus.*

sed pulchra etiam species illa *scapo vnifloro* satis copiose nascitur, in syluis supra *Wernigeroda* denuo visa, sed in Patria mea rarissima. Primus eam depinxit CLVSIVS cui *Pyrola minima* 1) est. Altera Icon est BESLERI 2). Tertia RIVINI 3), omnes satis bonae; vltima etiam stamina habet, sed diuersa ratione ab ea quam proposuit LINNAEVS 4). Habet enim RIVINVS 1. 2. 2. 3. 2. LINNEVS 1. 2. 3. 1. 3. Obseruationes meae pro LINNAEO faciunt, sed in iis minutiis procul dubio aliquid sibi permittit Natura. Hoc vero difformitatis genus in floribus rarissimum est, nisi staminum numerus a numero segmentorum floris differat, vt in octostemonibus.

§. XXII.

Paulo altius in Montis *Winterberg* syluis primum visa *Trientalis* CORDI, nunquam nos deseruit in toto monte *Bructero* gratissima comes, in Heluetia, Gallia, Italia, nunquam visa, & citra quinquagesimum gradum nullibi proueniens. Descriptio LINNAEI omnino conuenit. *Caulis* simplex, ligulas foliaceas exiguas primum, in vertice vero maiores, tandemque in vera folia auctas producit, folia vero ad nouem vsque numeraui. *Petiolos* vnifloros & simplices & binos frequenter vidi. *Flos* plerumque septemfidus, vt raro aberret, *calyce* septifido purpureo, *petalo* rotato plano exterius sub purpureo

1) *Pannon.* p. 508 *hist. plant. rar.* p. CXVIII.
2) *Hist. Eyst. Class. Vern. Ord.* XI. T. 12. f. 2.
3) *Pentapet. Irreg.* T. ult. *Pyrola flore singulari.*
4) *Flor. Lapon.* 167.

pureo intus lacteo. *Stamina* septem aureis apicibus, globosis. Tuba simplex vnica. Elegantia stirpis facit, vt synonymorum historiam addere visum sit. Breuissima descriptio est inuentoris CORDI 1), a quo *Herba Trientalis* dicta est; bona & vberior THALII 2) tertia SCHWENKFELDI 3). CASPARVS BAVHINVS pro noua proposuit, *Pyrolam Alsines flore Europaeam* 4) dixit, & pro more suo fecit *maiorem & minorem*, maiorisque dedit iconem bonam, primamque. Sed folia & vniuersus habitus *Psyllii minoris* quod idem BAVHINVS depingit alibi 5), ita se habent, vt capitula squamosa descriptionis, & fructus mori figura in icone, non persuaserint LINNAEO, aliam esse stirpem a nostra *Trientali*. Frater IOH. BAVHINVS Cordi nomen retinuit 6). CHABRAEVS indigna simia, *Herbam Trientalem pyrolae speciem secundum quosdam* 7) vocauit. PARKINSONVS pro *Pyrola Europaea Alsines flore* 8) figuram nimis serratam dedit, ipsissimam vero *Casparis* BAVHINI iconem quae *Trientalem* exprimit pro *Pyrola brasiliana Alsines flore maiori & minori* 9) Nomen CASPARIS BAVHINI

 reti-

1) *Sylv. obseruat.* p. 222. a.
2) Αλσιναυθεμον p. 15.
3) *Stirp. Siles.* p. 17.
4) *Prodr.* p. 100.
5) *ib.* p. 99.
6) *Hist. Univ. plant.* III. p. 506.
7) p. 501.
8) *Theatr. Bot.* p. 509.
9) p. 510.

retinuit LOESELIVS 10) MORISON 11) RAI 12) & SVTHERLAND 13). MERRETVS 14) *Pyrolam Alsines folio minore* dixit, OELHAVEN *Alsinanthemon* 15), AMBROSINVS *alsineanthemon vel alsinanthemon* 16) BARRELERIVS *Pyrolam longo folio flore albo singulari* 17). PLVKNETVS *Pyrolae affinem alsinanthemon nostram alpinam* 18). RVPPIVS 19), qui primus Characterem dedit, *Trientalem* CORDI & RIVINI. Idem nomen retinuit ERNDL 20) BVXBAVM 21) SIEGESBECK 22). *Trientalem* demum GEMEINHART 23) WALTHER 24) & LINNAEVS 25) KRAMERI *Tentamen* nondum vidi. MOEHRINGIVS, alsinan-

10) *Flor. Pruss.* p. 211.

11) *H. Oxon.* III. p. 505.

12) *Cat. stirp. Angl.* p. 246. *Hist. plant.* p. 1101. ubi florem facit pentapetalum.

13) *Hort. Edim.* p. 281.

14) *Pin. rer. Brit.* p. 99.

15) *Catal. plant. circa Dant.* p. 3.

16) *Phytolog.* p. 35.

17) *Icon. plant. in Gall. Ital. Hisp.* 1156. icon propria non optima.

18) *Almag. Bot.* p. 309.

19) *flor. Jenens.* p. 15. In Charactere floris segmenta & stamina omisit, fructum in tres carinas dicit dehiscere.

20) *Virid. Warsav.* p. 122.

21) *Plant. circa Hal.* p. 333.

22) *Primit. flor. Petrop.* p. 106.

23) *plant. circa Laub.* p. 11.

24) *design. plant. hort. sui.* p. 111.

25) *flor. Lapon.* 139.

26) *hort. priv.* p. 8. & 111.

alsinanthemi nomine Characterem nuperrime dedit, segmenta floris incerto numero recenset.

§. XXIII.

In eadem sylua frequens est Solidaginis species, summis Botanicis, RAIO, TOVRNEFORTIO & VAILLANTIO non cognita, licet omnino peculiaris sit. Flores habet solidaginis saracenicae, *semiflosculis* raris & omni charactere simillimos: Caulis & nascendi modus idem: *Folia* differunt, serrata equidem, sed adeo latiora vt longitudo latitudinis vix sit sesquitertia, molliora, & subtus lanuginosa: In *solidagine* vero *saracenica*, folia habent longitudinem latitudinis quintuplicem, dura praeterea & glaberrima: Quare tota facies magis ad *Iacobaeam Pannonicam IIII.* CLVSII accedit, a qua vero flore & defectu aurium sub foliis, & folio minus rotundo manifesto differt. Videtur omnino inter THALIANAS consolidae species esse, forte *Consolida saracenica alia* 1), in qua tamen proportionem latitudinis nimiam facit. Deinde *Consolida sarracenica maior* LVGD. 2) vt pro rudi icone satis nostram refert; Melior tamen est icon *Virgae Aureae siue solidaginis latifoliae serratae* I. BAVHINI 3), quam CHABRAEVS 4) repetiit. Huc referremus

1) p. 27.

2) *Hist. gener.* p. 1271. flores dicit senecioni affines. Flores tamen radiati indicant non esse *senecionem montium Averniae*, dictum CHOMELIO.

3) *Hist. plant.* II. p. 1063.

4) p. 333. mutato nomine. *Virga aurea Solidago sarracenica dicta latifolia serrata*.

mus *Solidaginem sarracenicam dictam latifoliam serratam* LOESELII 5) nisi destitui lanugine moneret. An sit *Virga aurea altera solidago saracenica* MORIS. PRAELVD. 6) folio minus spisso, non satis liquet: *Virgae aureae montanae latifoliae hirsutae* H. R. P. & SCHOL. BOTAN 8), sola nomina habemus. PLVKNETIVS 9) iconem & nostrae & LVGDVNENSIVM stirpi similem dedit, cum nomine IOH. BAVHINI. An *Iacobaea Alpina latifolia foliis longioribus serratis PONTEDER* 10). Omnino videtur esse *Iacobaea nemorensis latiore rigidiore & hirsuto folio* RVPPII 11), BVXBAVMI 12) ERNDTELII 13), sub nomine IOH. BAVHINI a LISCHWIZIO 14,) relata ad *Iacobaeas*. Verum similitudo nominum fecit, vt MORISONVS 15) & RAIVS 16) stirpem peculiarem I. BAVHINI miscerent cum vulgatissima *Virga aurea latifolia serrata* fratris CASPARI diuersissima 17) certe & flores

5) *flor. Pruss.* p. 286.

6) p. 323. probabile videtur. In *Historia* non habet.

8) p. 20. repetit MORISON *Hist. Oxon.* III. p. 124.

9) p. 390. T. 235. f. 1.

10) *Compend. Tab. Botan.* p. 140. non recedit.

11) *flor. Jenens.* p. 142.

12) *Enum. plant. circa Hal.* p. 144.

13) *Virid. Wars.* p. 62. plusculas plantas rariores ex RVPPIO repetit, vti fungos suos ad verbum ex HOFMANNI *Deliciis syluestribus* exscripsit.

14) *Diss. de Virg. Aureis* p. 27.

15) *Hist. Oxon.* III. p. 124.

16) *Hist. plant.* p. 279. cum signo stirpem sibi non perspectam fuisse.

17) Cl. etiam LISCHWIZ stirpes LOBELII, & PARKINSONI,

flores gerente in ſpicas, quae a *Virga aurea latifolia* exterorum non ſerrata, aut penitus non differt aut ſolis crenis: nobis enim nunquam tota absque crenis prouenit. Neque TOVRNEFORTIVS 18) neque VAILLANTIVS 19) errorem correxerunt. Iungenda fuerat apud VAILLANTIVM *Solidagini Saracenicae*, ſimillima ſed diuerſa ſpecies.

§. XXIV.

Cum ea naſcitur *Virga aurea Broccenbergenſis* THALII 1), varietas humilior minus ſerrata durior & glabra Virgae aureae vulgaris, qualem iconem elegantem dedit CAMERARIVS 2), & quae a BOCCONE 3) pro noua ſtirpe depicta eſt. *Acetoſa montana maxima* 4) in iisdem ſyluis prouenit, ſpecioſa varietas vulgaris Acetoſae, iuxta LINNAEVM 5). Id monendum, reti-

SONI, veras Virgae Aureae varietates, ad ſuam veram Iacobaeam refert.

18) Qui ſtirpes fratrum coniungit ſecutus MORISONVM, p. 484.

19) nullam mentionem facit plantae IOH. BAVHINI.

1) p. 129.

2) EPIT. MATTH. p. 748.

3) *Virga aurea Alpina laurinis rigidioribus foliis Muſ. de Piante* p. 33. T. XVI. Inde IHR. RAI. *Hiſt.* vol. III. p. 167. VAILLANTIVS equidem peculiarem facit *Mem. de l' Acad.* 1720. p. 396. Sed repugnat ſtirps ſimillima iconi, toties in *Alpibus* & *Juraſſo* viſa, diuerſitate notabili, ſed per gradus decreſcente.

4) CB *Oxalis maior Broccenbergenſis* THALII. p. 82.

5) *Flor. Lap.* 130.

retinere eam in hortis suam proceritatem neque vnquam ad staturam pratensis speciei redire, vti in amoenissimis hortis Ill. HVGONIS vidi *Hanouerae*.

§. XXV.

Ingressi paludem, vix superabilem nisi per aggerem ligno stratum, quae accolis vocatur *Hunerbruch*, inmensam vim vidi *Linagrostidis alpinae* vnica spica caulem terminante. Est ea absque controuersia *Gramen iunceum lanigerum* THALII 1) inuentoris, indicante id loco natali. *Iuncus Alpinus capitulo lanuginoso* C. BAVHINI *in Prodr.* 2) atque THEATRO. 3) qui & ipse ex Hercynia sylua habuit, *Iuncus capitulo lanuginoso siue Schoenolaguros* PIN. AMBROSINI 4) SCHEVCHZERI 5). *Iuncus alpinus cum cauda Leporina* IOH. BAVHINI 6), RAII 7) PLVKNETI 8), SCHEVCHZERI maioris, *Gramen Iuncoides alterum lanatum Danicum* PARKINS. 9) MORISONI 10). *Iuncus alpinus* bom-

1) p. 55.
2) p. 23. cum icone.
3) *Theatr.* p. 187. 188.
4) *Phytolog.* p. 303.
5) in *Agrostogr.* p. 302. & ic. opt. Tab. VII.
6) II. p. 514.
7) *hist. Plant.* p. 1306. *Cat. Angl.* p. 132. *Syn.* III. 436. minorem speciem non habet.
8) p. 200. *Almagest.*
9) coniungit RAI. & icon conuenit. *Theatr.* p. 1271.
10) *H. oxon.* p. 224.

bombycinus PARKINS 11). (non vero C. B.) 12) *Linagrostis syluatica spica simplici* RVPP. 13) *Linagrostis spica singulari alopecuroides* VAILLANTII 14). *Linagrostis Alpina maior capitulo singulari minori* MICHELII 15) Ab hac specie Linagrostidis, differt habitu humiliori, foliis paucis breuibus, spica aut aeque magna aut maiori, vaginis rarioribus, cespite minori *Gramen tomentosum Alpinum & minus* CASP. BAVHINI 16) MORISONI 17) *Gramen tomentosum alpinum minus* PARK. 18) *Iuncus alpinus capitulo tomentoso maiori* SCHEVCHZERI 19) minoris, *Linagrostis alpina media capitulo singulari maiori*, MICHELI 20). Eam nos in M. *Gotbardo, Scheidek* & alibi in Alpibus lectam, ita conparauimus cum Hercynica, vt aliquanto latiora folia & culmum & spicam Alpina haberet, Hercynica haec omnia longiora. Id an a solo natali pendeat non dixerim. Vnam certe speciem fecit SCHEVCHZERVS 21) maior,

11) certo *Theatr.* p. 1272.
12) quae rarissima stirps est summarum alpium, vid. SCHEVCHZ. *Agrostrogr. Tab.* iam cit.
13) *Flor. Jenens.* p. 260.
14) *Bot. Paris.* p. 117.
15) *nov. gen.* p. 54.
16) *Theatr.* p. 60. ex Alpibus *Rhaetic.* & *Vales.*
17) *H. oxon.* III. p. 224.
18) *Theatr.* p. 1272.
19) *Agrostogr.* p. 304. & icon. T. VII.
20) l. c.
21) *Junco* enim *Alpino cum cauda Leporina Itin. Alp.* I. p. 41. quae maior species est, & humili quem addit in alpibus nasci, quae minor species est, nomina distincta non inponit.

ior, vnam LINNAEVS 22) nixus praeterea ſpecimine BVRSERIANO ſibi viſo. Nos iuncos C. BAVHINI non vidimus.

§. XXVI.

Tota haec palus fit ceſpitibus ex *Sphagni* 1) duabus ſpeciebus factis, cuius ideo meminimus, peruulgati equidem, quod ea ipſa capitula quae polline plena offendimus in *M. Bructero*, offendamus deſcripta a THALIO 2) depicta vero a DODONAEO 3) & LOBELIO 4) Anguſtifolii iconem hucusque nullibi vidi, eſt autem diuerſum omnino, & faciem ſuam diuerſam in eodem loco natali ſeruans. Capitula, vti totus habitus minor eſt, minora, ſimillima tamen gerit.

§. XXVII.

Ad fluuioli *die Ecker* lapidoſum littus, paſſimque in ſcrobibus ſummi etiam montis, prouenit *Ranunculus albo flore* 1), in Alpibus omnibus, ſed in humiliori earum

22) cui eſt *Eriophorum ſpica erecta caule tereti Fl. Lap.* 23.

1) *paluſtris candicantis* &c. DILL. CG. 229. & *Synopſ.* III. 104. nro. 1. & 2.

2) *In Broccenbergi iugo candida muſci ſpecies . . . . capitulum continens puſillum, cymbali verſus ſuperiora patentis figura, coloris ſpadicei,* p. 78.

3) *Muſcus paluſtris Pempt.* p. 472.

4) *Muſcus terreſtris vulgaris* eadem ic. Icon. II. p. 242.

1) *Ranunculus maximus Leucanthemos ſiue Aconitiformis* THAL. p. 101.

earum ſede, & in *Iuraſſo* frequens, qui folio quinquelobato amplo ſplendente, caule alto brachiato, ſapore non acri, floris demum colore ſatis ſe diſtinguit. Primus eum deſcripſit C. GESNERVS 2) MATTHIOLI 3) enim icon eo referri ſolita *Anemonoidi montano polyantho* longe eſt ſimilior: deinde DODONAEVS 4) & alii longo ordine. Magna eſt apud me auctoritas ingenui & diligentiſſimi viri CAROLI CLVSII. Sed vix tamen poſſum a me obtinere, poſt tot per alpes itinera, vt credam diuerſum eſſe a noſtro Ranunculum *montanum IIII.* 5) in *Pannon.* & *Hiſtoria* deſcriptum. Facies enim, flos, ſapor ipſe, locus notatus conueniunt. humilior habitus, flos minor, praecocior eruptio in florem poſſunt a cauſis exterioribus profecta eſſe.

§. XXVIII.

Ad eumdem riuum frequens naſcitur, *Myrrhis Broccenbergenſis* THALII 1) & VOLCAMERI 2) *Myrrhis montana* SCHWENKFELDI 3) *Meum Sileſiacum* forte

2) *M. fract. deſcr.* p. 65. nomine *albi maioris.* In *Tabulis Collect.* vocat *Ranunculum ſylveſtrem album Fidertſche*, in *hortis Germaniae*, *Ranunculum montanum tertium Fidertſche Aretii* p. 275. a., in *append. Ranunculum album maiorem foliis Platani fere ſylueſtrem flore ſimplici* p. 295. b.

3) *Ranunculus* IIII. p. 613.

4) *Ranunculus albus externorum IIII. hiſt. plant. Coronar.* p. 288. ic. p. 286. *quintus Pempt.* III. L. IV. c. 3. p. 430. ic. p. 429.

5) *Pannon.* p. 369. 370. *hiſt. Plant. rar.* p. 236.

1) p. 77.

2) *Flor. Noric.* p. 296.

3) *Stirp. Sileſ.* p. 142.

CAMERARII 4): *Myrrhis paluſtris hercynica* IVNGERMANNI, HOFMANNI 5), RAI 6). THALIANAM ſtirpem neque C. BAVHINVS 7) neque FRATER 8), neque RAIVS 9) notam habuit. Eſt vero certiſſime, cum omnibus Synonymis modo dictis, *Myrrhis paluſtris latifolia alba & rubra* IRH. 10). Ad quam pertinere alibi dixi, *Seſeli montanum cicutae folio ſubhirſutum* C. BAVHINI 11): Cuius nomen repetiit, RAIVS 12) & MORISONVS 13), plantam neuter cognitam habuit. De eo vero & ex *herbario viuo*, & ex itinere in locum natalem facto mihi conſtat. An huc pertineat *Cicuta ſylueſtris maioribus quam vulgaris foliis* CORDI 14) id ex pauciſſimis vocibus definiri non poteſt. Id addendum, ſemina longa bicorni Tuba ſua inſignia, ſtriis conſpicuis non notari; ſicque

4) *hort.* p. 101.

5) *Flor. Altd. delic. ſylv.*

6.) *Hiſt. Plant.* III. p. 257. & *catal. ſtirp. exter.* 1694. p. 185.

7) qui in *Pinace* recenſet ſub titulo *Myrrhis Broccenbergenſis* quid?

8) cui eſt *Myrrhis Broccenbergenſis foliis Myrrhidis Italicae flore albo radice craſſa nigra* III. p. 78.

9) *Hiſt.* 431. cum Aſteriſco.

10) cuius pulchram iconem RIVINVS dedit nomine *Myrrhidis paluſtris.*

11) *Prodr. Theatr.* p. 85. *Cat. plant. circa Baſ.* p. 49. *Pin.*

12) *Catal. plant. exter.* 1694. p. 236. [Obiter obſeruo *Montem Waſſerfall* ibi dici vicinum *Scaphuſiae.* Sed longe abeſt, *Baſilea* vix duobus milliaribus Germanicis diſtans.] *Hiſt. plant.* p. 452. cum ſigno dubii.

13) *Hiſt. Oxon.* III p. 286.

14) *Sylv. obſerv.* p. 222. b.

ſicque recte ſtirpem noſtram ad *Chaerophylla* relatam eſſe ab optimo BOERHAAVIO 15) qui nuper rebus mortalibus ereptus, omnibus veri bonique amantibus perpetuum ſui deſiderium reliquit: vir ex hominum memoria ingenii magnitudine, animi vero modeſtia & benignitate nemini ſecundus.

§. XXIX.

Specioſa *Sonchi ſpecies*, *coeruleus latifolius* 1), flore ſpicato, in ipſis crepidinibus eiusdem riui frequens eſt, denuo viſus nobis ad littora fluuioli *die kalte bode*, prope villam venatoriam *das Elend*. Eum THALIVS 2) etiam albo flore vidit.

§. XXX.

Inde adſcendimus ipſum montem qua parte propria magis voce *der Broken* vocatur. *Bryum* ibi vidi & quod icon eius non exſtet, ſculpi curaui 1). Eius *caules* valde ramoſi, erecti tamen neque ad Hypni ſpeciem repentes; *folia* latiuscula non adeo acuta, neruo medio valde conſpicuo, ſeriatim & imbricatim caulem contegunt,

15) *Chaerophyllum latifolium paluſtre flore albo & rubro. Ind. alt.* p. 70.

1) I. B. II. p. 1004. cuius pulchra icon, mutuo accepta a FRATRE, ſculpta proſtat apud CAMERARIVM *Epit. Matth.* p. 280.

2) *Intybus* πλατυφυλλος *Hercynica* p. 62.

1) fig. 2.

tigunt, atque in speciem ex terete polygonam ambiunt; adulta nigricant. *Setae* ex caulis longitudine, bulbis minus conspicuis adscendunt, rectae & saepe aristarum instar intortae, vnciales, raro ex summa stirpe prodeuntes. *Capitulum* erectum crassum ouatum fuscum, *calyptra* in acutissimam acum educta. Retuli ad *Bryum hypnoides erectum montanum, erectis capitulis acutis* DILLENII 2). Ad ligna putrida frequens ibi prouentus est *Lichenis*, qui modo simplex, modo prolifer coccineis fungosis verrucis ornatur. Eum non rarum certe, ideo nomino quia THALIVS 3) longe primus eum descripsit. Quid sentiendum de fungosis istis excrescentiis, an morbus aut exuberantis succi vicium? suadet figura irregularis, prouentus in siccis & moribundis lichenibus, analogia Agaricorum. Repugnat constantia horum scutorum in eo Lichenum genere, quod ramis arbusculas exprimit.

§. XXXI.

In eadem via, quae fluuiolum sinisteriorem diu obseruat, *Polyporum* cespitosum ligno haerentem decerpsimus. Tota substantia dura coriacea filamentosa fuit. Figura infundibuli, intus pilis in concentricos circulos dispositis fuluis pubescebat, externa facies albida & glabra, poris frequentibus distincta, quos efficiebant breuissimae & vix percipiendae laminae. *Polyporum* dicimus, ob adfinitatem & naturam ficciorem, tubuli vero

2) Rai. *Synops.* III. p. 94. nro. 12.
3) *Lichen* circa *Andersbergam*, p. 73.

vero Suillum faciunt, licet duplicem substantiam non habuerit. Non absimilis erat *Polyporo exiguo Alpino fuluo infundibuliformi pediculo breuiori* 1) MICHELI.

§. XXXII.

Passim ibi *Osmunda lunato folio* prouenìebat, & *Lichen terrestris folio Eryngii* BVXBAVM 1), cuius synonyma recenset MICHELI 2). Verum ante omnes scriptores, quos excitat, CORDVS 3) ipse hunc Lichenem viderat, dixeratque *Muscum crispae Lactucae similem.* CAMERARIVS 4) etiam iconem eius qualemcunque exhibuerat. Quaerit de eo LINNAEVS 5), quomodo possit in cibum recipi, cum SIBBALDO 6) & BORRICHIO 7) teste aluum vehementer ducat. Respondet BORRICHIVS 8), & ROBINSON 9), vere primo purgare, reliqua aestate exsiccatum in farinam fieri edulem.

1) *nov. gen. plant.* p. 130. T. 70. f. 10.
1) *Centur. plant.* II. p. 11. T. VI. f. 1.
2) p. 85. T. 44. f. 4. qui & scuta vidit, oppido rara, & quae offendere nunquam mihi datum est.
3) *Sylv. observ.* p. 221. a.
4) EPIT. p. 783. ic. 2.
5) *Flor. Lapon.* 445.
6) cui est *Muscus in Islandia purgans. Prodr. hist. natur. Scot.* p. 39.
7) *Act. Hafniens.* A. 1671. p. 126.
8) ibid.
9) apud RAIVM. *hist.* p. 114. cui est *Muscus Islandicus* BARTHOLINI.

dulem: exſpirante forte ea quam ſemper in eo percepi ſumma amaritudine. Neque obſtat, quod purgans cum ſit, egregium vulnerarium & conglutinans dicatur a BREYNIO 10), Gratiola enim, validum vtique Catharticum, pro ſummo vulnerario a ruſticis noſtris habetur.

§. XXXIII.

Plurimum ad terram ibi prouenit *Lycopodium caule erecto ſpica glabra terminato* eximii LINNAEI 1) cuius inuentor videtur AGERIVS 2), miſtum vulgari *Lycopodio*. *Vitis* etiam *Idaeae* plura genera frequentia naſcuntur per paludoſa prata montis, proprie magis BRVCTERI nomen gerentis. Inuenimus ibi *Vitem Idaeam foliis oblongis crenatis fructu nigricante*. Deinde *Vitem Idaeam foliis ſubrotundis non crenatis baccis rubris*, ad quam aliquae obſeruationes videntur addendae eſſe. Namque TRAGVM huius inuentorem fecit CASP. BAVHINVS, qui tamen in *Myrtillo exiguo* 3) non huius ſed manifeſte admodum *vulgaris fructu nigro* deſcriptionem dedit, cum icone minus bona. Inde etiam factum eſt, vt ſub titulo *Myrtilli exigui* AMBROSINVS 4) & TITA 5) noſtram

10) *Muſcum pulchrum terreſtrem ſanguineum* in E. N. C. *Dec.* I. *ann.* III. *Obſ.* 289. cum icone non mala.

1) *Flor. Lapon.* 419.

2) apud I. BAVHINVM p. 767. ſub *Muſco terreſtri foliis retro reflexis*.

3) p. 974.

4) *Phytolog.* p. 368.

5) *Hort. Maurocen.* p. 125.

ſtram propoſuerint. Porro folia noſtrae euidenter ſubtus punctata ſunt, vt valde manifeſtum ſit CASP BAVHINVM hanc prae oculis habuiſſe, quando *Vuam Vrſi*, diuerſam vtique & punctis carentem, dixit *Vitem Idaeam foliis carnoſis punctatis*, quae voces diu mihi inpoſuerunt. *In herbario viuo C. B.* vti paſſim aliqua ita arbores in primis fere perierunt pluuiae iniuria, neque potuerunt conſuli. Deſcriptioni floris addi poteſt, quod gemelli apices quatuor cornua longiuscula educant, & ita conglutinati ſint ad ſimilitudinem ſtaminum in *Viola*, vt *monadelphiam* omnino imitentur, euidentius quam *Hypericum* aut *Geranium*; *Tuba* vero apice incuruo ſit, quod RIVINIANIS ſufficere deberet ad plantam in Irregulares amouendam. *Fructus* in patria mea edules non habentur, multo minus ad delicias referuntur 6). Primus eius meminit C. GESNERVS noſter in deſcriptione M. FRACTI 7). THALIVS 8) *Vitem Idaeam rubram* dixit. Haec in omnibus ſyluis editioribus *Hercyniae*, plane vti in *Iuraſſo & ſubalpinis* vulgatiſſima eſt.

§. XXXIV.

Paludes magis ſequitur *Myrtillus grandis* 1) TRAGI, quod ſynonymon cum illo THALII 2) male ad aliam ſpeci-

6) vti in Suecia & Laponia teſtante LINNAEO *flor. Lap.* 144.

7) *Vitis Idaca rubris acinis* p. 63. In *Collect. Tab. Vitem Idaeam in alpibus rubram* vocauit, ed. II. p. 115. in *hortis* Germaniae *Vitis Idaeae ſpeciem alteram acinis rubris* p. 287.

8) p. 129.

1) L. III. c. 13. p. 974. absque icone.

2) *Vitis Idaea nigra maior.* p. 129. ad ſpeciem diuerſſimam foliis oblongis alibicantibus quae Ill. TABERN. & CLVSII.

ſpeciem retulit CASP. BAVHINVS. Inuentor TRAGVS eſt, deinde *du* CHOVL 3) eius meminit, deſcriptionem & iconem primam dedit CLVSIVS 4). Baccae nigrae ſunt, iis inebriandi vim tribuit RVPPIVS 5) quam in vulgi ſermonibus receptam de *Myrtillis* M. Bructeri, ad *Empetri* baccas refert THALIVS 6). In patria mea in vſus humanos non recipiuntur.

§. XXXV.

Paludes amat etiam *Oxycoccus*, ſed humiliores, cum *Myrtillus grandis* in ſummas Alpes adſcendat 1). Eum CORDVS 2) primus propoſuit & nomine donauit. Prima icon eſt C. GESNERI 3), elegans. Flos manifeſto monopetalos, ſed in quatuor portiones profundiſſime ſecedens 4): antherae non cornutae. Baccae cum ſaccharo edules apud Batauos 5), nobis in menſis ignotae 6).

Ad

3) *humilis frutex cuius baccae Airelles, deſcr. Pilat.* apud GESNER. *fract.* p. 74.
4) *Vitis Idaea* II. *Pannon.* p. 77. 80. *Hiſt. rar.* p. 61.
5) *Vaccinium altiſſimum foliis ſubrotundis exalbidis flor. Ien.* p. 39. poſt CAMERARIVM *in hort.* p. 128.
6) p. 41.
1) in ipſo *Gemmii* vertice & *Gothardo* viſus.
2) *Oxycoccum Hiſt. plant.* L. II. c. 63. cum bona deſcriptione.
3) ibid.
4) quod recte obſeruat eximius LINNAEVS. *flor. Lap.* 145.
5) DODON. *Pempt.* VI. L. II. c. 9. p. 770. *Vaccinia paluſtria.*
6) vti neque apud Suecos & Lapones edules habentur LINN.

§. XXXVI.

Adfinis Vitibus Idaeis est *Andromeda*, foliis contractis ad margines, vt superficiem pronam eleuatae orae ambiant. Prouenit propius iam verticem BRVCTERI in paludosis pascuis, amoeno spectaculo, recentibus germinibus corallinis, petiolis pendulis vna cum flore pulchre purpurascentibus. Hanc omnino primus proposuit THALIVS, *Myrtumque tenuifoliam* dixit 1) IOH. BAVHINVS descriptionem & Iconem dedit, & dixit *Vitis Idaeae affinem poliifoliam montanam* 2) quod nomen non corrupit CHABRAEVS 3), vt saepe quidem solet. Est porro *Rosmarinum syluestre nostras* PARKINSONI 4). *Vitis Idaea Rosmarini folio auersa parte candido & neruoso* LOESELII 5). *Erica foliis roris marini flore amplo* VESLINGII 6) *Erica alpestris rorismarini incano folio flore purpureo* TITAE 7) *Rosmarinum syluestre* MERRETI 8), *Erica rorismarini folio* RAII 9), *Erica humilis Rosmarini folio Vnedonis flore capsula cistoide* PLVKNET 10). *Erica palustris flore purpurascente, pendulo, petiolo*

1) p. 78.
2) *Hist. Vniv.* Vol. I. l. V. p. 525.
3) p. 41.
4) *Theatr.* p. 76.
5) *Flor. Pruss.* p. 289.
6) *Cat. plant. Patav.* apud TITAM.
7) *Hort. Maurocen.* p. 68. omnino videtur. In *Itinere* vocat *Ericam alpinam palustrem Rorismarini folio flore purpureo.*
8) *Pin. rer. Britann.* p. 106.
9) *hist. plant.* II. p. 1489.
10) *Almag. Bot.* p. 136. T. 175. f. 1.

tiolo longo rubro vorismarini folio RVDBEK 11) *Ledum paluſtre noſtras arbuti flore* RAII 12). *Poliifolia* BVXBAVM 13) *Ledoides rosmarini foliis rigidis ſuperne laete viridibus inferne albis floribus dilute rubentibus* SIEGESBECK 14), *Ericoides flore rubro ſiue purpureo* HEIST. 15) *Andromeda foliis alternis lanceolatis margine reflexis* LINNAEI 16). Flos Ericae figuram habet; Staminum proportio, fructus & numerus ſegmentorum floris Chamaerhododendri eſt. CAMERARII *Vitis Idaea Bavarica baccis rubris inſipidis* huc non videtur pertinere: vid. RAI ad eum titulum.

§. XXXVII.

Tandem & *Empetrum* verſus verticem montis frequens naſcitur, ſtaminibus nunc onuſtum, & florens. Hoc a MATTHIOLO 1) primum deſcriptum, in *Bructero M.* inuenit AEMILIVS 2), deinde THALIVS 3) atque baccas inebriare atque deliria gignere monuit, quod quidem neque BORRICHIVS 4) neque LINNAEVS 5) admittunt.

Supe-

11) *Catal. ſtirp. ex Lapon.* in *Act. ſuecic.* 1720. p. 97.
12) *Syn.* III. p. 472.
13) *Act. Petropol.* vol. II. p. 345.
14) *Primit. flor. Petrop.* p. 63.
15) *Catal. Hoſt. ann.* 1731. monente LINNAEO, ſynonyma enim deſunt.
16) *Flor. Lapon.* 163. cum icone rami T. *I.* f. 2.
1) p. 154.
2) qui *Corin Broccenbergicam* dixit apud THALIVM.
3) *Erica baccifera Matth.* p. 41.
4) *Act. Hafnienſ.* 1673. p. 161.
5) *Flor. Lapon.* 305. an THALIVS popularem famam, a *Myr-*

§. XXXIX.

Superatis dumetis quae vertici proxima ſunt, & in ipſo culmine montis, magna vis *Pulſatillae albae* prouenit, plane ſimilis illi quae in *Iuraſſo* & *Alpibus* frequens naſcitur, flore albo, ad petalorum ortum exterius coeruleo colore tincto, foliis myrrhidis minute diuiſis. Eſt tamen in vniuerſum habitus minus villoſus & flos ipſe minor. Inuentor CORDVS 1) eſt, icon prima CLVSII 2). *Pulſatilla Apii folio vernalis flore minore* SCHEVCHZERI 3) ſub alieno nomine eſt eadem noſtra, vt ex deſcriptione adparet.

§. XXXX.

Lapidibus in culmine copioſe irrepit, *Bryum hypnoides capitulis plurimis erectum lanuginoſum* DILLENII 1) foliis ex latiuſculo ortu in pilum criſpum eductis, capitulis exiguis ouatis in ſetis breuibus erectis per caulis longitudinem frequenter prouenientibus. Huc aliqui *Muſcum montanum* TABERNAEM. 2) ex leui coniectura. An *Muſcus capillaceus denſiſſimus lanuginoſus albouiridis apicibus niueis* SCHEVCHZERI 3)? non liquet, & fere mallem

tillo grandi per errorem tranſtulit in Empetri baccas? videtur.

1) *Ranunculi XI. ſpecies* hiſt. L. II. c. I. p. 121. b.

2) *Anemone ſylveſtris II.* Hiſt. p. 245. cum icone, & *Anemone montana pulſatillae folio* PANN. p 382. deſcr.

3) *It. Alp.* IV. p. 339.

1) *Synops. Rai.* III. p. 97.

2) p. 809.

3) *It.* VII. p. 516.

mallem referre ad *Sphagni* 4) speciem. An *Muscus ericetorum hirsutie canescens & ramosius* RVPPII 5)? non repugnat.

§. XLI.

Cum Pulsatilla vberrime prouenit *Hieracium alpinum pumilum folio lanuginoso:* cui *Radix* vix obsequens, lignosa, *Caulis* dodrantalis, aphyllos nonnisi ligulas quasdam graciles & sparsas paucasque adnatas habet. *Folia* cum flauedine virentia longos albos pilos educunt, longa, gracilia, ambitu alias integro, alias vagis dentibus sinuato. Ex villosissimo *calyce* nigro, cuius lanugo alba est, *Flos* flauus, petalis quinquedentatis. Inuentor THALIVS 1) est, qui *Hieracii minoris speciem Broccenbergo peculiarem* vocauit. Iconem primam dedit COLVMNA, cui est *Hieracium pumilum II. Fr. Gregor* 2). Ex eo prouenit *Hieracium alpinum pumilum folio lanuginoso* CB. 3) VAILL. 4) *Hieracium alpinum pumilum lanuginosum* 5) PARK. *Pilosella monoclonos non repens Alpina minor lanuginosa amplo flore* 6) MORISONI. *Hiera-*

4) quod in *syn. Rai.* quartum est p. 105.
(5 *flor. Ienens.* p. 292.
1) p. 57.
2) *Ecphras.* II. p. 29. *ic.* p. 30. exiguum specimen.
3) Pin.
4) *Memoir. de l'Acad.* 1719. p. 239. cum synonymo alieno PLVKNETI.
5) p. 799.
6) *H. Oxon.* III. p. 78. S. VII. T. 7. f. 5. ex COLVMNA.

Hieracium alpinum pumilum II. RAII 7). *Dens Leonis Alpinus minimus pilosellae folio* TOVRNEFORTII 8) an & SCHEVCHZERI? 9) *Hieracium alpinum angustifolium villosum* 10) SCHEVCHZ.; *Hieracium alpestre pilosum angustis longioribus foliis flore pallente* TITAE 11) pro noua planta exhibitum. *Hieracium villosum alpinum flore magno singulari caule nudo* RAII 12) *Hieracium caule vnifolio & vnifloro calyce villoso* LINNAEI 13).

Ab hoc, caule folioso & foliis omnibus dentatis diuersum est, caeteroquin simillimum, *Hieracium alpinum folio acuto, molli, lanuginoso, dentato* BVRSERI 14) *Hieracium* forte *alpinum lanuginosum longifolium leuiter dentatum* VAILLANTII 15).

Huic denuo ita adfine est, vt proximum sit, aliud quod ab eo, quod in Bructero prouenit, foliis latioribus ad ipsum etiam ramosum caulem frequentibus, latiusculis, sinuatis & obtusis; a stirpe, quam BVRSERO tribuimus, foliis latis non dentatis differt, simillimum villo foliorum & calycis, ipsoque flore. Ea est *Hieracium*

7) *hist. Plant.* p. 241. cum asterisco.
8) *hist. des plant. aut. de Paris* p. 54. & IRH.
9) *It.* IV. p. 333. absque descriptione; verum cum nostra stirps in eodem Itinere alio cum nomine recenseatur, haec potius *Pilosella* videtur magis incana summarum Alpium.
10) in eodem *Itin.* IV. p. 336. certo.
11) *Itin.* post *hort. Mauroc.* omnino videtur.
12) *Syn.* III. T. VI. f. 2, bene nisi aliquid in habitu desideres.
13) *flor. Lap.* 283.
14) *Act. Suecic* 1724. p. 502. Ex Gemmio M.
15) *Memoir.* l. c. p. 241. cum synonymo I. BAVHINI, quod ad vicinam plantam statim dicendam pertinet.

cium alpinum hirſuto folio CLVSII in *Pann.* 16) *alpinum V. villoſum in hiſtor.* 17) *Hieracium V. Pannonicum* CAMERAR. 18) *Hieracium alpinum hirſuto folio V.* CLVSII *quodammodo incanum* IOH. BAVHINI 19) exſcriptum ex CLVSIO, & denuo *Piloſella ſiue Pulmonaria lutea anguſtiori folio valde piloſa duplex* 20) eiusdem cum propria deſcriptione & icone ſtirpis ex Montibus Geneuenſibus petitae, vbi & ipſi eam legimus. Priorem CHABAVEVS *Hieracium alpinum hirſuto folio flore hieracii luteo* 21) vocat, in alterius nomine vocem *duplex* 22) ſolam omittit, idque nomen poſt CHABRAEVM MORISON 23) & RAIVS 24) retinuit. RAIVS alibi 25) *Philoſellam ſiue pulmonariam luteam anguſtiori folio valde piloſam alteram* dixit. Ex CLVSIANA demum ſtirpe natum eſt, *Hieracium alpinum latifolium villoſum magno flore* C. BAVHINI 26) PARKINSONI 27) MORISONI 28) HERMANNI 29) RAII

16) p. 643. icon v. p. 646.
17) p. CXLI.
18) *Hort. Med.* p. 75.
19) II. p. 1027. ipſum non vidiſſe ſtirpem CLVSII adparet.
20) Varietas nempe in foliis imis, quorum pediculus modo longior modo breuior eſt, etiam nobis obſeruata.
21) p. 320.
22) p. 325.
23) *H. oxon.* III. p. 31.
24) *Hiſt. Plant.* p. 240.
25) *Catal. ſtirp. exter.* p. 204.
26) PIN.
27) *Theatr. Botan.* p. 399.
28) *H. oxon.* III. p. 70.
29) H. L. B. 315. *Flor. Bat.* p. 21.

RAII 30) MAGNOLII 31) TOVRNEFORTII 32) TITAE 33) SCHEVCHZERI 34) PONTEDERAE. 35) *Hieracium V. villosum Clusii* MVNTINGII 36) *Hieracium alpinum latiore folio pilosum flore maiore* PLVKNETI 37) cum propria & bona Icone. A *montano tomentoso* 38) diuersissimum est. Quae omnia quando collata sunt, adparet tres stirpes modo descriptas, conuenire longo villo folii, & calycis, huiusque nigredine, colore demum folii flauido, & mollitie, magnitudine & colore floris: Ita tamen, vt primum caulem pene aphyllon, folia ad radicem longiora & angustiora habeat: Duo reliqua caulem foliosum & folia latiora. Et eorum prius quidem serrata, alterum, quod simul ramosius, multiflorum & reliquis amplius est, integra. Secundum a primo vix satis differt, a tertio euidenter, quod & a primo certissime diuersum est. Primum in *Bructero* & *Gothardo* M. alterum in *Gothardo*, tertium in omnibus culminibus *Iurassi* & alpibus lectum est.

30) *Catal. stirp. exter.* p. 114. *hist. plant.* p. 239. cum nota qua plantas sibi incognitas distinguit.

31) H. R. M. p. 98.

32) I. R H.

33) *hort. Maurocen.* p. 89.

34) *It. Alp.* I. p. 39. bona descriptio.

35) *Dissert.* p. 91.

36) *waare oeffening van de Plant.* p. 454.

37) *Almag.* p. 184. & T. 194. f. 2. bona ic.

38) VAILLANTIVS hoc admiscet, breui suo tomento & toto habitu distinctum, atque pulcherrime depictum in *Hort. Eltham* ic. 181. Verum neque icon *Hieracii latifolii pilosi coccinei vmbellati Indici* PLVKNET. T. 194. f. 4. vllo modo stirpi nostrae respondet.

§. XLII.

Circa casam in vertice Bructeri M. exstructam, stirpem denuo vidi, quam in Alpinis pratis *M. Scheidek & Neunenen* olim inueneram, & ex Bohemiae montibus miserat amicissimus HAENELIVS Schneebergensium Medicus. Eam cum pro noua tunc haberem descripsi 1); sed cum aliqua festinatione. Quare nunc, & synonyma & descriptionem meliorem visum est addere. *Radix* ex multis teretibus fibris, absque conspicuo carpo in imum caulem coeuntibus. *Scapus* a dodrantali ad cubitalem, *folia* ad terram pluscula, lata, & obtusiora quam in plerisque Orchidibus, si *palmatam flore viridi* exceperis, ad caulem angustiora acutiora. *Spica* florum mediocriter densa, interiectis, vti in Palmatis fieri solet, foliolis paulo longioribus quam ouarium. *Ouarium* contortum de more, duarum linearum longitudine. *Flos* ex albo herbaceus dimidia parte longior. *Galeae* foliola quinque, quorum alia tria ex albo pallentia magis conspicua sunt, duo minora lutea ex virore. *Barba* 2) trifida, simplex recta protensa, segmento medio maiori. *Calcar* 3) inflatum conicum vnius lineae longitudine. *Cucullus staminum* nihil peculiare habet. *Apices* lutei. Odore destituitur. Primus hanc stirpem proposuit LOESELIVS 4) deinde in montibus helueticis lectam SHERARDVS 5), cum BOBARTO communicauit, & BO-

1) *Orchidem palmatam alpinam spica densa albouiridi* vocaui, *Com. Lit. Phys. Techn. Med.* 1733. p. 20.

2) MICH. l. c. B.

3) ib. C.

4) cui est *Orchis palmata palmis inuersis flore albo.* Flor. Pruss. p. 182.

5) qui in *catal.* inserto *Catal. stirp. exter.* RAII. 1694. vocat *Orchidem Palmatam montanam latifoliam floribus in spica densa albis tantillo lutei admixto* p. 400.

BOBARTVS 6) quidem cum *Orchide pusilla alba odorata radice palmata* Angliae indigena eamdem fecit. PLVKNETVS 7) & RAIVS 8) videntur distinguere. Quam litem suam non fecit CHOMELIVS, neque nos definire possumus. CHOMELIVS pro noua planta descripsit, & ob radicis fibras in carpum non connascentes, *Limodoris* adcensuit, repugnante omni habitu, dixitque *Limodorum montanum flore albo dilute virescente* 9). MICHELIVS nouam iconem dedit, & nomen fecit *Pseudorchis alpina flore herbaceo* 10). Quamquam, vt verum fatear, radicis dignitas tanta esse non videatur, vt stirpem omni fabrica simillimam Palmatis, ab iis auellas. An etiam *Orchis palmata thyrso specioso longo dense stipato ex viridi albente* RICHARDSONII 11)? non satis liquet. An *Orchis flore albo minimo* MERRETI 12)?

§. XLIII.

In scrobibus ad verticem, *Polygonatum tenuifolium* CORDI 1) vidimus, quod quare *maius* & *minus* fecerit THALIVS 2), non video. In decliui vero parte montis, quae pagum *Ilsenburg* spectat, vnicam stirpem *Mei*. Neque praeterea aliquid singulare obuenit, ea die qua per *Ilsenburgum* pagum metallis celebrem, *Wernigerodam* petiuimus.

§. XLIV.

A *Wernigeroda* ad *Specum Baumannianam* iter facientibus aliquoties visus est pilosus in *Hieracio murorum philosissimo* tumor,

6) cui est *Orchis palmata pusilla alba odorata* H. Oxon. III. p. 499.
7) *Almagest.* p. 271.
8) *Cat. stirp. angl.* p. 217. *Hist. plant.* p. 1225. *Syn. III.* p. 381.
9) *Mem. de l'Acad. des scienc.* 1705. p. 517. ex Aruerniae montibus.
10) *nov. gener. plant.* p. 30. & T. 26.
11) apud RAIVM *synops.* III. p. 382.
12) *Pin. rer. Brit.* p. 86.
1) *Hist.* L. I. c. 86. p. 113.
2) p. 85.

tumor, qui fuluo crine, modo adſidens radici, modo angulis caulium, aliquam & rudem imaginem musculi ſedentis exhibet. In ſyluis *Brocomagi* viſus fuerat morbus iſte elegans a TRAGO, dictus etiam 1) CHEMNIZIO 2) & RVPPIO. 3) HEVCHERVS vero, vt nouum nomen ob eum tumorem faceret *Hieracio myophoro* 4) non admodum erat neceſſe. STOBAEVS 5) etiam, & LINNAEVS 6) eius meminerunt. In pratis, ſub iisdem ſyluis, copioſe prouenit *Filipendula*. In ſupercilio *ſpecus Baumannianae* vbique, *Geranium ſanguineum maximo flore*, raro inter *Gerania* exemplo monanthos, cuius iconem non bonam CLVSIVS 7), optimam dedit BESLERVS 8).

§. XLV.

Plures omnino, pulchrasque ſtirpes alit Hercynia ſylua, quod ex THALIO ſatis adparet, & certius perſuaſit nobis faſciculus plantarum indigenarum Hercyniae miſſus ab illuſtri Viro *Aug. Ioh.* HVGONE Archiatro Brittannico. Sed plures hoc in itinere non vidimus, obſtabant praeter tempeſtatem pluuiam aliae quaedam difficultates. Alterius aeſtatis labor, vt ſperamus felicior erit. Comites autem noſtri Itineris fuerunt *Fridericus Ludouicus Chriſtianus* CROPP, qui hanc Diſſertationem defendit, *Iohannes Chriſtophorus Ludouicus* SEIP, celeberrimi medici Pyrmontani IOHANNIS PHILIPPI filius, *Carolus Philippus* GESNER, I. M. F. *Iohannes Arnoldus Iulius* RICHERS, Hoyenſis, *Ioachimus* FVRSEN Holſatus, *Iohannes Henricus* HOFMEISTER Hildeſienſis. *Fridericus Ludouicus* ENGELSTAETTER Dresdenſis, omnes Medicinae Cultores. Iter exeunte Iunio perfecimus.

1) p. 77. 2) *Catal. plant. circa Brunsv.* p. 43. cum propria icone in *Adpendice* n. 7. 3) *Flor. Ienenſ.* p. 163. 4) *Nov. prov. hort. Med. Witteb.* 1713. p. 74. cum icone. 5) *Act. ſuecic.* ann. 1723. p. 415. 6) *Flor. Lapon.* 229. 7) *Geranium haematodes Pannon.* p. 419. *hiſtor.* CI. CII. Eadem icone vſus eſt LOB. ic. 660. 8) *H. EYST. Vern. Ord.* I. T. XVI. f. 1.

* * *

THESES BOTANICAE.

I.

Methodus naturalis, coniungit ſtirpes ex maiori numero conuenientium characterum, licet unus vel alter manifeſto differant; Aſarum & Ariſtolochiam, Rutam, Moschatellinam & Hypopityn.

II.

Diſtinguit ſtirpes pluribus characteribus diuerſas, etſi vnus vel alter manifeſto conueniat, Veronicam a Pinguicula, Verbaſcum a Digitali, Saxifragiam ab Vmbelliferis.

III.

Methodus artificialis, coniungit plantas pluribus notis diuerſas & vnica conuenientes: Veronicam & Salicem, Moschatellinam & Solanum, Valerianam & Echium.

IV.

Methodus artificialis, diſtinguit ſtirpes pluribus notis conuenientes, diuerſas vnica, Echium ſeparat ab Aſperifoliis, Saponariam & Caryophyllum a Lychnide, Aſcyron ab Hyperico.

V.

An noua methodus petenda a proportione Staminum ad Tubas & ad petala, horumque ad calycem proportione? Medetur malis quibusdam a numero ortis, ſed manet artificialis, ſeparat Alſinen mediam a reliquis, Myoſotides a ſe inuicem &c.

THESES CHIRVRGICAE.

VI.

Sectio calculi Rauiana vix vnquam aperit Veſicam ipſam.

VII.

Sed fit continuatio Sectionis adparatu magno, ita vt haec anterior ſit & a Veſica remotior, Raviana poſterior & ipſos ceruicis terminos aperiat.

VIII.

Manet tamen eius praeſtantia, quod adtinet inſtrumentorum Iter facile, & minus incontinentiae atque lacerationis periculum.

IX.

Adparatus altus alias ſuccedit, alias minime, nullo vitio Chirurgi, neque facile eſt diſtinguere quando felix futura ſit operatio quando minime.

X.

Adparatus paruus a RAVIANO parum differt, & vix niſi quod directe admittat inciſionem, Rauianus oblique.

XI.

THESES ANATOMICAE.

XI.

Vena alia Cordis perpetua a ſinu dextro in oſtium Mediae, recipiens ſaepe innominatas.

XII.

Vena anterior Cordis rariſſima, ſed viſa eſt tamen inſerta in coniunctione auris dextrae cum Vena Caua ſuperiori.

XIII.

Viſus eſt vere in homine ductus a BARTHOLINO deſcriptus, neque infrequens eſt.

XIV.

Inciſiuus ductus, in recente cadauere patulum eſt infundibulum ſetam transmittens.

XV.

Vaſa lymphatica a Ventriculo ampliſſima pene omnium, ad receptaculum abeunt.

THESES PHYSIOLOGICAE.

XVI.

Quid fit in ſyſtemate ſpirituum, de ſpiritu qui muſculum in motum egit? An refluit ad cerebrum? minime, fieret ſenſus: an abit in venas? cur non prius?

XVII.

Per eadem vaſa & tranſpirari & nutriri neceſſe eſt.

XVIII.

Fit ergo vera tranſpiratio per Vaſa generis minimi

XIX.

Diaphragma ſtringit Oeſophagum utique, & relaxatur in vomitu.

XX.

Vomitus fit vel ſola conuulſione ventriculi, vel adcedente conuulſione muſculorum abdominalium.

(o)


Sisymbrium palustre album foliis imis
Barbareae reliquis integris
Bryum hypnoide erectum montanum
erectis capitulis acutis.